



Historiæ Societatis Iesv Pars ...

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis
ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCX

Lib. XV. Societas Jesu bonore, domiciliis, viris, aucta & ornata ab anno
MDXCI. ad MDCXVI.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)



LIBER XV.
PARTIS V.
HISTORIÆ SOCIETATIS
IESU.

Argumentum & Synopsis Libri XV.

SOCIETAS IESU aucta & ornata ab anno Christi
MDXCI. AD MDCXVI.

- I.  *Ollegia, domus, & stationes datae Societati, aucta, restituta. II. Societas in Canadam, seu Novam Franciam inducitur. III. Et in Cocincinam. IV. Disciplina collegiorum ac domorum certis legibus monitisque firmata. V. P. Franc. Toletus inter Purpuratos Patres à Clemente Octavo cooptatus. VI. P. Robertus Bellarminus eodem honore sacro per eundem ornatus. VII. Fundator Societatis Beati appellatione, Romana sedis oraculo, donatus. VIII. S. Franc. Xaverii brachium ex India Romam delatum. IX. Varia miracula per S. Ignatium edita. X. Peculiaris quadam de barbaris Canadensibus. XI. Nec non de incolis Cocincinae. XII. Catalogus Provinciarum ac domiciliorum Societatis, anno MDCXVI. editus.*

HACTENUS Societatem vidimus media velut inter arma de Instituto, de doctrina, de fama, & vita dimicantem: jam tempus est eandem quasi respirantem, propagatam, & ornatam intueri. Hæc vero qualiacumque incrementa sive ornamenta, non tam nostra profitemur esse, quam quantuli sunt, volumus. Singularem beneficio Societatem Gregorius XIV. affecit edita Constitutione Apostolica, cujus mentionem libro XI. fecimus *, & qua Institutum Societatis, nomen, privilegia, confirmat. Idem sui de Societate iudicii, & singularis in eam studii non leve specimen dedit, attributâ illi, qua nunc quoque fungitur, cura & administratione collegii Græcorum in Urbe. Hoc Seminarium Gregorius XIII. fundaverat *, cumque illius regendi onus imponere Societati destinaret, intercesserat Everardus Mercurianus, Generalis Præpositus, eam ob causam, quod laboriosa complurium aliarum id genus domorum administratio mandata jam nobis Romæ foret. An etiam, ut nonnullorum leniret invidiam, Societatem in Urbe nimis crescere dolentium? Quin, illud palam dictitantium, Patres, si semel in collegium hoc pedem inferrent, id perfecturos ut Græcorum ritus in eo sensim abolerentur. Itaque, ut quas parabant illi turbas

Everar-

§.I.

COLLEGIA, & DOMICILIA SOCIETATIS NATA, AUCTA, REDDITA AB ANNO MDXCI. AD MDCXVI.

* Lib. XI. n. 23.

* Anno 1576.

I.

Collegium Græcorum in Urbe Societati à Gregorio XIV. attributum.

Everardus prudenter suffugeret, id muneris tunc fuerat enixe deprecatus, non abnuente, propter studium pacis, Pontifice. Sed cum Cardinali Julio Antonio Sanctorio, Sanctæ Severinæ nuncupato, cujus in patrocinio Seminarium istud Græcorum erat, parum satisfacerent ejus moderatores, egit cum Pontifice ut Claudius Aquaviva ejusdem gubernandi susciperet onus anno MDXCI. idque ipse Pontifex omnino se velle significavit. Rei domesticæ procuratio penes quosdam externos administratores erat, qui subinde gravem Patribus molestiam exhibuere, ita ut pacatè gubernari collegium non posset. Delatæ sunt ad Cardinales collegii patronos querelæ; sed cum remedii nihil afferretur, & indigna multa quotidie tolerarentur ab istis administratoribus, qui se domus arbitros dominosque prædicabant, & movebant omnia mutabantque pro libidine, Præpositus Generalis rem totam Summo Pontifici Clementi VIII. exposuit. Eo annuente Societas onus, quod honestè utiliterque ferre non poterat, deposuit anno MDCIV. At cum res tum domestica, tum litteraria labaret paulatim, ac rueret; remoti sunt penitus illi externi administratores, & reddita Patribus cura collegii, sed libera, & pristinis litibus ac molestiis expedita, anno MDCXXII.

2.
Innocentii IX.
Gregorio XIV.
subrogati bene-
volentiam in So-
cietatem.

Gregorii Quartidecimi, qui diem supremum Idibus Octob. MDXCI. obiit, benevolentiam in Societatem adæquavit Innocentius IX. illi subrogatus IV. Kal. Novembris. Vix orbem Christianum è Petri folio contemplari cœperat, cum lapsos mores restituere meditans, huic operi clarissima sacri senatus lumina præfecit. Eorum deliberationibus interesse Præpositum Generalem Societatis, Claudium Aquavivam, ac P. Antonium Possevinum jussit, ut consilia in commune cum Cardinalibus conferrent. Neque tantum publicam rei Christianæ curam cum delectis è Societate hominibus communicatam voluit, sed privatam quoque spem, ac domesticam, iisdem credidit: dum illos educandis fratris filiis abhibuit. Jussus Aquaviva idoneum aliquem huic muneri conquirere, Claudium Miliarefium obtulit, quem statim probavit Pontifex, ac regendis lectissimorum adolescentum studiis moribusque præposuit. Unum fuit ab Innocentio metuendum Societati, ne dignitatibus ecclesiasticis, obstructum hæcenus, in eam aditum aperiret. Certe Bellarmino ornare sacra purpura cogitabat, ut ipsi Bellarmino Augustinus Valerius, Cardinalis Veronensis, cui cum Innocentio intima familiaritas intercedebat, postea significavit; & eundem honorem parari sibi Claudius Miliarefius, de quo supra memoravi, sentiens, cum nihil apud Pontificem ipse proficeret, Præpositum Generalem, ut rem disturbaret, trepidus admonerat: sed utriusque metum discussit, ac latissimas de summa in nos tanti Pontificis benignitate spes abruptit immatura mors ejusdem, quæ vix Ecclesiæ ostensum, altero quam creatus fuerat mense sustulit.

3.
Collegia, do-
mus, residen-
tiæ, anni 1591.

Consequentium Pontificum benevolentiam erga Societatem intelligere licet è plerisque collegiis & domiciliis, quæ magnam partem ab ipsis ornata & stabilita sunt. In iis deinceps enumerandis sequemur temporis ordinem, cum illa nullo certo inter se vinculo sint colligata. Latinas litteras docere Mutinæ Societas cœpit anno MDXCI. Est Mutina, civitas Italiæ præclara in Longobardia, Ducatus cognominis caput. Initium quoque publicè docendi factum Brundusiæ, sive Brunduti, in limite Suintgoviæ & Alfatia superioris. Ratisbonæ migratum eodem anno in scholas anno superiori adificatas. Groningæ, in Belgio, jacta sunt collegii fundamenta, urgente negotium Octavio Frangipanio, Episcopo Calatino, Sedis Apostolicæ per inferiorem Germaniam Nuncio: itemque Joanne à Gouda, Jurisperito clarissimo. Sed urbe paucis post annis ab hæreticis capta, opus inchoatum feliciter, penitus eversum est*. Latiori omine fundatum in eodem Belgio fuit collegium Valencensis, seu Valentianis, urbe Hannoniæ ad Scaldim, ampla, & munita. Jam de illo condendo agitari cœptum erat anno MDLXV. cum nobilium factiones, & conatus hæreticorum, Belgium lacerabant. Scripserat ea de re ad senatum Valencensem Cameracensis antistes, Maximilianus de Berges, eoque nomine Valentianis profecti erant P. Everardus Mercurianus, Belgicæ provinciæ tunc præses, & P. Eleutherius Pontanus, collegii Cameracensis rector: sed cum omnia frigide per magistratus, errorum veneno imbutos, agerentur, ni-
hil

* *Infr.* n. 7.

hil admodum confici potuit. Interim, catholicis ad salutis publicæ curam excitatis, convenere civitatis principes: actum de civitate tutanda contra molitiones hæreticorum. Aliis reparandam arcem, aliis alia suadentibus, Jacobus Freyus, abbas pietate ac studio religionis præstans, animos civium contra exitialis doctrinæ pestem ante omnia muniendos demonstravit: lapideas arcis, expugnatis ab hæresi mentibus, parum scilicet profuturas: porro ad eam rem nihil videri convenientius, quam si Societas in urbem vocaretur. Placuit sententia, præsertim Comiti Lalanio, Hannoniæ & Valentianarum gubernatori, qui cœtui præerat. Rogatus Alexander Parmensis, Belgii gubernator, ut civium votis faveret, amplissimis verbis ad Provinciales scripsit: quo jubente, P. Eleutherius Pontanus in urbem rediit cum aliquot Sociis IV. Id. April. MDLXXXII. * Nihil adhuc satis firmum & stabile fuerat: donec certis demum vectigalibus attributis, datum est Societati anno MDXCI. collegium urbanum, S. Joannis vulgo dictum, in eoque, sub initium Octobris, lycæum feliciter apertum. In Hungaria constitutum fuit collegium in oppido Varallienfi, Comitatus Thurocziensis primario: quod Selliam deinde immigravit anno MDXCVIII. *

Collegii Monachienfis templum a Guillelmo Bavarie duce magnificè constructum, solennibus carimoniis consecratum est, & apertum tertio Kal. Octob. anni MDXCI. sacra luce Michaeli, cœlestis militiæ Principi, cui dedicatum erat. Ea lux litterariis ludis & spectaculis celebrata: nec non regali epulo, quo primores civium idem Guillelmus accepit in collegii novis ædibus, à se pari munificentiæ conditis, ornatisque. Cum vero deprecarentur Patres, ut liberalitati modum poneret, solebat illis subirascei, aperte professus, *se non modo Bavarie collegiis, sed universæ Societati parentis loco esse velle*. Quam potuit gratiam Societas universa retulit: neque obsequium modo serenissimæ debitum familiæ; sed sinceram, qualem in filiis decet esse, pietatem erga Principes ita de se meritos semper studuit exhibere.

Utebantur Socii Crentenses Archiepiscopo parum benevolo. Itaque Claudius Aquaviya edixerat ut colligerent vasa, & alio se reciperent. Interim perlatae sunt ad Archiepiscopum Roma litteræ Cardinalium; quibus cum accessisset ipsius Gregorii XIV. ad Ducem Venetum epistola, res pristinum ac meliorem etiam in statum sunt reductæ. Collegium Rigense Societati dederat Stephanus Rex Poloniae, ut priori tomo hujus V. Partis narratum est *. Sed cum Regis obitus animos novarum de religione opinionum studiosis ad audendum fecisset, Rigã cesserat Societas, anno MDLXXXV. Hanc in integrum restitui quarto post anno vehementer expetiverant catholici Rigenfes, edito super ea re decreto; quod nihilominus ne vim suam obtineret, iniquitas temporum & hæreticorum astutia, visque prohibuit. Dilatum itaque negotium in proxima regni comitia fuerat, habenda Varlavie. Post varias tergiversationes, & oppositas ab adversariis moras, contra quos etiam judicatum fuit causam hanc Regiam esse, non comitorium; dictæ tandem secundum Societatem sententiæ sunt, omnium qui aderant senatorum uno consensu, quo permotus Rex Sigismundus III. Stephano subrogatus, summa sua voluntate pronunciavit placere sibi ut sublata omni mora, collegium Rigense Societati JESU restitueretur, & quidquid illatum detrimenti fuisset, sarciretur. Senatus Rigenfis frustra cunctatus, nec inanes à regniis ministris intentari minas videns, imperata demum fecit: ac P. Varsевичo, Societatis nomine stipulanti, possessio rite tradita templi Divæ Magdalene, & adjuncti monasterii, V. Kal. Maias. Hoc monasterium æquare solo plebs, ab hæreticis concitata, pridem statuerat, ne iis uti ædibus Societas aliquando posset: humanitatis tamen quodam sensu, quominus illud statim everteret, retardata fuerat, quia supererant adhuc in eo cœnobio sacra Deo virgines duæ, senio confectæ, quibus brevi extinctis, monasterium excindere decreverat. Verum contigit, non sine Numine, ut earum altera (nam una jam obierat) quæ sola excidium monasterii morabatur, tum excefferit è vita, cum adessent missi à Rege proceres, ad redonandum Societati collegium, quorum præsentia furorem plebis & consilia coercent. Ceterum senatus Rigenfis quæ ablata fuerant omnia cum fide

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

M m

reponi

* Part. V. ad An. 1582. n. 114.

Infra. n. 11.

4. Guillelmi Bavarie Ducis munificentia in Societatem.

* Lib. V. num. 81. Lib. VI. n. 28.

reponi iussit, ac singulari deinde benevolentia Socios profecutus est. Quia tamen sacerdotibus evangelicis in haretica, & magnam adhuc partem infensa civitate, nondum satis opportunus esse locus videbatur; placuit ibi collocare novitios, qui sibi unis, ac Deo, placidè vacarent. Et nova Probationis domo egebat provincia, quod multitudinem tironum Cracoviensis domus Probationis minimè caperet.

* P. V. Lib. IV.
n. 106.

Aginnum est urbs Aquitaniæ inclita, Tolosam inter & Burdigalam, Garumnæ fluvio imposita, cælo & solo peramœno. Expetitum * antea collegium summis civium studiis, ac præcipuè Canonicorum, anno denique MDXCI. constitutum fuit. Auctores atque adjutores fundandi Turisone collegii (est ea civitas Aragoniæ præclara) fuerunt Petrus Cerbuna, urbis antistes; & Carolus Muniozius, ejusdem Canonicus, ac postea Barbastrensis Episcopus; & Antonius Carnicerius, qui post uxoris obitum Societatem, una cum filio, est ingressus. Erat exigua statio nostrorum Ubetæ, in Bætica. Cum fructus non exiguos afferret, postulavit civitas ut justum in collegium mutaretur. Adjuvit in primis Franciscus Sarmientus, Giennensis antistes, cujus liberalitas cum Burgenfi etiam collegio plurimum opis & ornamenti attulisset; ejus fundator ipse est renunciatus. Caloræ puriter in Vandalitia, scholæ juventuti per idem tempus patuerunt. Fulda, in Cermania, nobilium contubernium Gregorii XIV. liberalitate restitutum fuit, redditus, quos Sixtus V. aliò avertendos censuerat, proventibus. Oblata Societati fuerat anno MDLXXXV. statio Leopoli, qua primaria civitas est Rusiæ Rubræ, seu Parvæ. Venit illuc, civium accitu, P. Martinus Laterana, cum aliquot Sociis. Qui postquam ad populum verba fecit, & exerceri cœpta sunt in quatuor oppidi templis vilitate Societatis ministeria, ingens facta est morum in meliorem statum inclinatio; Schismaticis permultis ereptus error: cives turmatim ad sacramenta usurpanda confluxerunt. His primordiis lata civitas ædes idoneas collegio destinavit, ac felices laboris apostolici primitias Claudio Aquavivæ per litteras gratulatus est Archiepiscopus Joannes Demetrius Toliekovius. Inchoatum fuerat anno MDLXXXVI. collegium Montis Sancti, quod oppidum est agri Piceni elegantissimum. Operi manus ultima hoc anno MDXCI. accessit.

5.
Collegium Barulani & alia
anni 1592.

Gerunium (Ciriniolam vulgo appellant) oppidum est in Apulia Daunia, quæ hodie Capitanata dicitur. Ibi collegium Societati dederat matrona nobilis Anna Mendoza, Sancti Angeli & Gerunii Comes. Sed oppidi angustia numerum auditorum, qui collegio par esset, suppeditare vix poterant, & in eo urbis loco sita nostra domus erat, ut comiteantis ultro citroque nobilitatis diversorium potius, quàm religiosæ familiæ domicilium esse videretur. Id cum intelligeret Anna Mendoza, Societatis commodis & rationibus privatas posthabuit, eaque annuente, Socii relicto Gerunio petiere Barulum, vicinam urbem, & Adriatici maris emporium celebre, in Apulia Peucetia. Erat in eo loco quem civitas ponendo collegio destinabat, exigua domus, unde litis aliquid exstitit. Quippe anno superiori sacerdos è Clericis Regularibus, quos Theatinos appellant, Baruli per vernalium jejunium concionatus, egerat cum civibus de familia suorum apud eos collocanda; & accepta fuerat summo, uti decebat, omnium consensu postulatio. Hanc, de qua dixi, domunculam nonnulli cives qui Theatinis favebant, eorum nomine clam coemunt, & Neapoli aliquos ex iisdem Patribus arcessunt, illudque hospitium ipsis attribuant. Rogati à nostris Theatini ut assignata collegio, regis urbisque jussu, area decederent, initam possessionem retinebant. Aquaviva datus ad præsidem Theatinæ familiæ litteris, oravit ut bene de nobis in ea re mereri non recusaret; malle se hoc beneficium ipsis, quos impensè veneraretur, acceptum ferre, quàm spem quantacumque judicio persequi. Respondit humanissime. Sedati, quos ea lis moverat, rumores sinistri; collegium institutum: ei tamen sua forma, nomenque justè collegii anno tantum MDXCVI. datum. Guillelmus Bavaria Dux Societatem per idem tempus induxit in Urbem Oettingam. Est ea civitas duplex: altera Nova dicitur, & sedet ad Oeniripam; altera Vetus, Novæ vicina. Illic visitur sacra ædes, cœli Reginæ posita quondam à Divo Ruperto, Boiorum apostolo, Ad hanc ædem frequens hominum con-

concurfus, unde oppido celebritas. Ea cum sacerdotum copiam paulo majorem postularer, vocata Societas est. Aucto deinde Sociorum numero proprium illis domicilium anno MDXCII. prope ipsum sacellum Deiparae attributum fuit, ubi postea * collocati sunt Patres qui tertium annum Probationis obeunt. Eodem anno Societati domicilium, quod in justum deinde collegium adolevit, Constantiæ oblatum est, operâ præsertim Andreae Cardinalis Austriaci, Episcopi Constantiensis & Brixinonensis. Fuerat Molsheimense in Alsatia collegium à Joanne Mandercheidto, Episcopo Argentoratensi, fundatum. Illo demortuo quidam canonicus, novæ doctrinæ patroni, Joannem Georgium Brandeburgicum, Joachimo Electoris fratre genitum, subrogarunt in ejus locum, ea conditione, ut Societatem regione tota ejiceret. Canonicorum altera pars, addictissima Fidei catholice, Caroli Lotharingi, Cardinalis & Episcopi Metensis, opem imploravit. Utrimque confato bello, Molsheimenses, desperatis rebus, dedere se, ac nostros, ultro assentientes, ne furorem hæreticorum in cives accenderent, dimittere, cum præfidiario milite coacti sunt. Sed pace inter Carolum Lotharingum, ac Georgium Brandeburgensem composita, restitutum est civibus, magna ipsorum gratulatione, collegium anno MDXCIII. Ne tam facile Socii discederent Embricâ, prudens rectoris cunctatio effecit. Est illud oppidum in Ducatu Clivensi, ad Rheni ripam: celebri ante aliquot annos ornatum academia, cui temporum insumma hæreseos licentia & immanitate calamitas, ut aliis compluribus, vastitatem & exitium attulerat. Hanc restituere cogitans Bernardus Louwermanus, canonicorum Embricensium, penes quos academiae arbitrium & potestas omnis erat, Decanus, Societatem advocare in animum induxit; eoque adnente Dux Cliviæ Joannes-Wilhelmus, amplissimo diplomate scholas Embricenses Societati concessit. Ecce autem, cum jam coalescere collegium ac frequentari cœpisset, Mauritius Nassavius infestum agmen præter Embricam agens *, evocato magistratu, Patres intra triduum pelli jubet: sin minus, bellicam vim denunciat. Magistratus respondet integrum sibi & fas non esse Patres ejicere, qui auctoritate Ducis ac voluntate, Embricam induciti essent. Quievit ille tum quidem, & intra minas ejus ira stetit; verum ipsius milites abactam ex agris prædam negabant se reddituros, donec Societas pelleretur; neque Embricâ modo, sed toti provinciæ præsens minitabantur exitium. Nuncius Apostolicus, qui tunc Novesii, vicina in urbe, versabatur, & Colonienfis collegii rector, cedendum tempori censuerant; ac saltem in proximum aliquod oppidum, donec iste nimbus præteriret, migrandum. Verum Joannes Hæsius, Embricensis domicilii præses, satis gnarus relictam semel stationem haud facile recuperatum iri, non putavit sibi, qui Principis accitu venisset, nisi ejusdem jussu, discedendum. Ergo Dusseldorpium scripsit, qua in urbe Princeps degere consueverat, & ubi tunc habebantur comitia, rem indignam ac turpem videri, si Princeps catholice religionis propugnator, intentatas ab agminis hæretici ductore minas reformidaret; nobis quidem solis aperte; ac catholicis omnibus & religioni perniciem occultè frui. Eadem cum urbis magistratibus & ministris Principis disseruit. Hæc oratio atque adeo Nuncii Apostolici auctoritas, qui Socios Embricâ discedere nomine Summi Pontificis vetabat, injecit illis metum ac deliberandi curam. Nilominus vicini & armati hostis terrore perculsi, vehicula & milites quibus Socii tuto Coloniam deveherentur, apparabant. Hæsius Summi Pontificis mandatum, Principis voluntatem, cladem religionis ostentare pergens, negat se profecturum, nisi abire, tradita scripto exilii lege, causisque legitime productis, jubeatur. Dum cives cunctantur, dum lenire Nassavius, dum convenire Principem per legatos parant; extractum tempus, bellum alio deportatum, dilapsa res est. Sic aliquando restitisse prudenter, nec nimium festinasse, profuit.

Actum fuerat de Societate Insulis in Belgio collocanda, jam inde ab anno MDLXVII. cum Episcopus Tornacensis, Joannes Venduillius, Insulensem senatum vehementer hortatus est, ut vectigalia fundando collegio constitueret. Ærarii angustia ne res succederet obstiterant. Præsul sollicitus, & omnia circumspiciens, arcessit duos sacerdotes è Societate, qui obeundis per Quadragesimam

Mm 2

Insti-

*Vide Historiam
D. Virginis Oet-
tingane, editam
Monachii anno
1643.*

** V. Id. Octob.
1592.*

Instituti nostri ministeris, specimen aliquod Societatis ederent. Missi à P. Oliverio Manareo, tunc per Belgium Visitatore, PP. Guillelmus Hanguartus, & Nicolaus Bucherianus, civium studia, quæ ad Societatem postulandam exarserant, vehementius incenderunt, ac præsertim Baltasaris Bouterli, opulenti mercatoris. Hujus postulatu vocati rursus anno MDLXXXVIII. duo è nostris omnem juvandarum animarum industriam, sacro Dominici Adventus tempore, itemque per vernalium sequentis anni jejunium, feliciter explicuerunt. His permotus Joannes Venduillius, Romæ tunc degens, quo illum negotia sua diocæseos perduxerant, egit cum Præposito Generali Societatis, ut pateretur aliquot è Sociis in urbe Insulensi residere, donec spes collegii maturefceret. Igitur Insulas profecti sunt quinque: iis præpositus est P. Guillelmus Hanguartus, qui ex eadem civitate oriundus, regii quæstoris munus, antequam Societatem iniret, in ea exercuerat: ac domum ibidem habebat peramplam, quæ opportunam nostris sedem præbuit. Continuo in omnem excolendæ civitatis artem se religiosus labor effudit, nec tantum in luce concionum enituit, verum etiam in umbra scholarum urbis puerilium, in quibus suscepta est doctrinæ Christianæ tradendæ provincia, summa civium approbatione. Per hunc modum triennio spectata nostrorum sedulitas civitatis curam ad collegium denique constituendum stimulavit. Quare XV. Kal. Maias anni MDXCII. rite acceptum, & ineunte Octobri, oratione solenni ceterisque litterariis exercitationibus, veluti dedicatum fuit. Ejusdem aucta dos annis consequentibus & ædificium, amplitudine, situ, dignitate, visendum, cum templo magnificentissimo extructum est. Comitatus Flandrici caput est Gandavum, ad fluvium Scaldim, qui annum Legiam ibi accipit: ampla, & munita civitas. In eam inducta Societas anno MDLXXXV. sedem isto MDXCII. nata est pristina commodiorem & ampliorem, coemptis ædibus, quas antea rebellium hæreticorum signifer Joannes Hembisus occupabat. Illi prædictum fuisse narrant fore, ut eadem sacra, quæ vexabat ac proculcabat odio Calviniano, in ipsius domo propediem colerentur.

In Gallia Rotomagenses gravi obsidione liberati, ope atque armis potissimum Alexandri Farnesii, Ducis Parmensis, suscepta pridem de collegio instituendo consilia tandem aliquando ad optatos exitus perduxere. Illius collegii prima fundamenta posuerat anno MDLXXXIII. Cardinalis Borbonius, senior, Archiepiscopus Rotomagensis, cum urbem opibus, opportunitate commercii, amplitudine, frequentia & ingenio civium, clarissimam, ab hæresi periclitari cerneret. Quamvis autem ædes, vectigalia, & reliqua ponendo rite collegio necessaria designasset, nihilominus ob intestinos, quibus Gallia per idem tempus dire læcebatur, tumultus, ac mortem ipsius Cardinalis, disturbatum est negotium; mox, animadversa propius utilitate collegii, retractatum anno MDXCII. & communis civium consensu vocata fuit Societas. Confirmavit populi studia liberalitas Parisini * Senatoris, qui religiosum Ordinem Carthusianorum amplexus, collegio Rotomagensi Prioratum Grandimontanum, annuente Clemente VIII. transcripsit. Aperta scholæ sunt anno duntaxat sequenti, Februario ineunte.

Petrocorii Aquitanie partem obtinent inter Aginnates, Lemovicenses, Cadurcos, & Santones. Digressam ante triennium Burdigalâ Societatem perhumaniter exceperant, & in vetusto urbis suæ gymnasio collocarant: propriam eidem ac perpetuam hanc stationem esse voluerunt; cumque locus, in angusto & humilicivo situs, compertus fuisset parum saluber; laxatæ sunt angustia, & in editiore loco ædificari coeptum. Hæreticis ademptum haud ita pridem fuerat Albenacum Occitanie oppidum in tractu Vivariensi. Patres identidem acciti Turnonio infelicis doctrinæ zizania, quæ radices ibi egerant altissimas, evellere conabantur, ac mores, temporum vitio corruptos emendare. Ab iis compressa præcipue fuit singularium certaminum licentia. Grassabatur ea latè pestis, & nobilissimas familias sua spe ac prole viduabat. Persuasere Patres ut nobilitas, si quid ortum litis & controversiæ gravioris foret, id arbitrio procerum vel gubernatoris provincie permetteret. Lata lex; & in alias provincias, successu consilium approbante,

* Jacobi du Tilliet.

bante, propagata. Expeditum quoque à civibus domicilium Societatis, sed perturbatis adhuc rebus, dilatum est negotium, nec nisi anno MDCL. constitutum,

Anno MDXCIII. Illyricorum Seminarium, quod adhuc Laureti steterat, collocatum est Romæ, & Romano Seminario insertum, ut facilius alumni erudirentur, quorum etiam numerum Pontifex Clemens VIII. ad duodecim contrahi iussit. Idem Seminarium postea Laureto redditum est, & auctum ab Urbano VIII. anno MDCXXVII. Fundandi Teate, quæ civitas in Aprutio citiore censetur, collegii occasio hæc fuit. Donatus Alucius, civis Theatinus, Cæsarem Alucium filium, quem habebat in Societate Jesu, scripsit heredem moriens, addiditque gratum sibi fore, si filius patrimonium in collegio instituendo collocaret. Nec optimi parentis vota, spemque, filius obsequens frustratus est. Posita primum statio anno MDXCIII. auctis triennio post cum censu scholis, jus collegii & nomen est adeptæ. Lilybæum, Siciliae perverus oppidum (hodie Marsallam vocant) in cognomini promontorio visitur. Hic primum in collegii fundamenta deiecit lapidem Comes Olivarius, Siciliae prorex. Reditus annuos cœperat suppeditare Antonius Lombardus, Mamertinus Archiepiscopus; auxerat eisdem civitas; illos cumulavit Stephanus Frisella, nomenque fundatoris promeruit.

Genæ domum Probationis excitandam in suburbio S. Petri ab arena, suscepit vir pius ac nobilis Joannes Bernardus Uncia. Commodiore tamen postea loco posita est in ædibus à Dominico Lomellino, Genuensi patricio, donatis, quæ altero abhinc anno habitari sunt cœptæ. Tolosæ domus itidem Probationis, quæ cum collegio conjuncta erat, ab eodem est disjuncta, coemptis ædibus & instructis beneficentia præsertim nobilissimæ feminae Dominae de la Serre, sive, ut vulgo vocabant, de Luffan, quia Equiti Luffano nupsit: nec non lætissimæ viduæ, Magdalena à Britannia; cujus tamen munus integrum propter injectas ab ejus consanguineis lites, ad tirocinium Tolosanum minime pervenerit, tota tamen ad eam redire memoria beneficii nostra debet. Neque hoc omittenda loco est Arnaldi Boretii, Tolosanos inter senatores splendore generis & morum integritate clarissimi*, munificentia; qui postquam collegio Tolosano annuos redditus fundandæ theologorum scholæ tribuisset, domum Probationis in eadem civitate locupletavit, templum à fundamentis erexit; ac demum in ipso tirocinio, tanquam novitiorum altor ac parens, consensere voluit. Enituit etiam matronæ viduæ pia liberalitas in collegio Vergarensi ædificando. Magdalena Centurionia, patricio apud Genuenses loco nata, liberis carens, amisso viro Augustino Spinula, fortunata ad opem accolis Pyrenæi ferendam impendere constituerat, quibus ob regionis asperitatem & solitudinem cultores animarum minime multi suppetebant. Visa est urbs Victoria opportuna ad sementem evangelii vicinos in tractus feliciter spargendam: sed cum à civibus aliquid exstitisset obicis, & moræ; itum est Vergaram, non longè distantem, in Guipuscoa, ad fluvium Devam, & initium collegio Vergarensi factum. In provincia Batica felicibus auspiciis natum est collegium Astigitanum; Monfortense in Castellana. Hujus conditor Rodericus de Castro, Cardinalis & Archiepiscopus Hispalensis: illius fundati nomen ac fructum partitæ sunt duæ nobiles matronæ, Francisca de Corduba, & Beatrix de Monte Salvo. In eadem Batica cives Biaticenses ad collegium ædificandum pomerii partem, & alia subsidia summo studio contulerunt. Hanc civium clarissimorum munificentiam excitaverat catechismi tradendi ratio, à Patribus eò missis usurpata; cum pueri agmine composito, supplicantium ritu, vicos obirent, elementa Christianæ doctrinæ, quæ didicerant, recinentes, pietate singulari ac modestiâ. Hæc species adeo placuit, ut aliquando puerorum agmini ductorem se præbere, ac præferre crucem, non dubitaverit vir præcipuæ in Ecclesia Biaticensi dignitatis; & sequerentur ultro viri primarii, facile quingenti, cumque promiscua nobilitate, rector ac doctores Academiae. Adamus à Nova-domo, Bohemiæ cancellarius Societatem invitavit in oppidum suum Nouhausiam, quæ vox Bohemica Novam domum significat. Actæ, ut par erat, gratiæ, inductique litterarum magistri, qui cum aliquandiu habitassent in urbe, tanquam inquilini, collegium ad scholarum usum accommodatum anno MDXCV. ædifi-

6.
Collegia & domus anni 1593.

* *Exstat ejus vita Latine à P. Petro Possino conscripta.*

ædificatum est. Visum fuerat Summis Pontificibus pertinere ad tuendam in Germania religionem ut cœnobîa monachis vacua, & eorum vectigalia collegiis fundandis ac Seminariis addicerentur. Itaque Guillelmus Bavarix Dux religionis catholice juxta & Societatis studiosissimus, Monasterium Biburgense, inter Ingolstadtium & Ratisbonam situm, non procul Ebersberga, collegio Ingolstadtensi, de illorum sententia tradiderat. Aliquot è Sociis anno MDXCIII. eo in loco solita munia cœperunt exercere. Sub annum vero MDC. ædificium male materiaturatum & ruinosum ab integro restructum est: & è parietinis ac ruderibus instaurata fuit & ornata B. Virginis Allerstorffensis ædes, quæ totius vicinix concurrenti & pietate celebratur.

* *Supra. n. 2.*

7.
Collegiorum
ortus, anno
1594

* *Part. V. Lib.
III. num. 37.
* Num. 63.*

Collegii Groningani spes ante annos quatuor oblata * concidit penitus anno MDXCIV. Cives à Belgis fœderatis acriter obsessi, & oppugnatione diuturna fracti, tandem Idibus Julii hostile jugum subierunt non iniquis conditionibus, si unam excipias multo durissimam, nempe exilium religioni catholice indictum. Secuta Religionem Societas excessit, magno civium luctu, quorum aliqui ob eam duntaxat causam, quod rerum nostrarum studiosi viderentur, solum vertere coacti sunt. Cladem hanc pensavit in eodem Belgio collegium Luxemburgi positum, in urbe primaria cognominis provincix. Ejus fundandi mentem olim Regi Catholico, & Alexandro Farnesio injecerat revocandus in pristinum decus doctrinæ ac disciplinæ Christianæ, qui paulum obsoleverat in ea civitate, nitor. Admissi fuerant in urbem Socii anno MDLXXXIII. * Emissi deinde, ob eas quæ sunt expositæ anno MDLXXXVI. * causas, Treviros abierant. Auxit illorum absentia desiderium civitatis, statimque de ipsis reducendis, ac retinendis, cogitatum. Ne certus fundando collegio census constitui facile ac liquidò posset, obstabant possessores beneficiorum quorundam Ecclesiasticorum, quæ huic operi destinata fuerant à Rege Catholico, annuente Summo Pontifice. Pervicit omnes moras Ernesti Archiducis, qui regalis Belgii gubernator ante paucos menses venerat, sedulitas. Addubitatum deinde à nostris est, utri provincix collegium adscribendum foret, Belgicæ, an Rhenanæ. Pro Rhenana faciebat sermo vulgaris civium Germanicus; Trevirorum vicinitas; & Electoris Archiepiscopi iurisdictio in rebus sacris. Nihilominus, cum Hispanæ ditionis non solum civitas, verum etiam collegii prædia & possessiones essent, Belgicæ adscribi provincix Claudius Aquaviva maluit.

Margarita Turriana, civis Cremonæ primaria, marito, nullis ex eo susceptis liberis, orbata, & secundas exosa nuptias, obtulerat ædificium Societati cum annuo censu, sed leviori, quàm ut ad fundandum collegium satis esset. Quia tamen à P. Achille Galliardo fuerat donatio accepta, instabantque communibus votis cives, statio Cremonæ posita fuit. Exigua pariter Sociorum manus confedit aliquandiu Alexandriæ à palea, in eodem Ducatu Mediolanensi. At cum super quodam prædio mota lis fuisset, discedere placuit potius, quam incertam spem odiosè persequi. Eandem ferè ob causam deserendum erat domicilium Imolæ constitutum: nihilominus Pontificiis litteris, & civium curâ compositæ res, & Societas retenta. Promissum ante Congregationem Generalem anni MDXCIII. fuerat collegium Setiæ (urbs ea quondam Latii, nunc Romanæ Campaniæ, Pontinas paludes ex amœno despectat jugo.) Oblatum à civibus vectigal par justo collegio nondum erat. Quare Socii duntaxat aliquot eò missi. Ne penitus relinqueretur inquit Calatanisseta, in Sicilia, domicilium, fecit opportunâ liberalitate Mater Principis Paterni, eademque Dux Montis-alti ac Bivonæ, quæ collegii sublevavit inopiam, & ædes prope perductas ad fastigium, absolvendas curavit. In eadem Sicilia Panormitanum tirocinium est conditum, & à collegio ubi steterat hætenus, sejunctum. Vincentius Carbo, civis Panormitanus, amplecti Societatem statuerat, eamque suis fortunis adjuvare. Utebatur familiariter jamdudum Francisco Lombardo, magnis etiam & bene partis opibus affluente: cui cum suum de ineunda Societate consilium aperuisset, eandem amicum mentem injecit. Uterque collegii rectorem adit, nec se tantum, sed sua quoque collegii ædibus perficiendis, & extruendæ bibliothecæ, offert. Visum est è majore

jore Dei gloria fore, si domus Probationis Panormi poneretur: neque illi abnuerunt. Junxit se sociam matrona nobilis Beatrix Brancifortia, & numerorum non incommodam appendicem addidit. Delecta igitur area, descripta sunt ædes, quas novitij Messanâ, ubi domus altera Probationis erat, arcessiti frequentarunt. Iis annumeratus est fundatorum alter Vincentius Carbo: nam Franciscus Lombardus jam decesserat, votis religiosi Societatis ante obitum nuncupatis.

Objacet extremâ Siciliæ, ad Austrum, insula Melita, firmissimum Italiæ, atque adeo catholicæ religionis contra Turcarum impetus propugnaculum. Equitibus Hierosolymitanis, post Rhodum captam, donata à Carolo V. ad quem, ut Siciliæ regem, pertinebat. In eam accessere anno MDXCII. duo sacerdotes Societatis ad instituendum collegium, jubente Pontifice; postulante jamdudum, Thoma Gargallo, Melitensi antistite: urgente præ ceteris Equite nobilissimo Carilano Casato. Lapidem primum in fundamenta dejecit anno MDXCV. Martinus Garzias, Ordinis Magister. Clemens Episcopo præcepit, ut quos proventus è Concilii Tridentini præscripto, erat infumpturus in extruendum Ecclesiæ suæ Seminarium, attribueret ædificando collegio, illudque poneret in urbe Nova, in qua Ordinis Magistri, atque Equitum sedes est. Duæ sunt enim in insula Melita urbes præcipuæ: una, quæ civitas Vetus dicitur, medium insulæ locum obtinet; ibi degit Episcopus: altera, urbs Nova nuncupatur, seu Valletta, de nomine sui conditoris Joannis Vallettæ Parisoti, Ordinis Magistri. Gratulatus est Episcopo sancta nascentis collegii primordia Franciscus Maria Taurusus, inter S. Philippi Nerii alumnos clarissimus, paucisque post annis sacra vestitus purpura. Epistolam ducit ab his Apostoli verbis: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio* *. *II. Cor. 7.* Subjicit nonnulla de Societate, ac definit in laudes nobilissimorum Equitum, qui suscipiunt, inquit, hoc munus, ut pro Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ defensione vitam & sanguinem fundant. *Et quoniam*, subdit, *majorem caritatem, nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis* *, non video quæ possit illis perfectæ vitæ professio anteferri. Pergit in hæc verba: Ut Melita totius Orbis Christiani propugnaculum est, sic erit novum hoc collegium inter omnia ipsius munimenta firmissimum. Ortum erat initio aliquid altercationis & moræ à nonnullis hominibus erigi Seminarium præoptantibus. Negabant æquum esse ut vestigalia fundando cleri Seminario destinata tribuerentur Societati, quæ unis Equitibus utilis & addita foret. Rem Clemens Hieronymo Cardinali Matthæio cognoscendam dedit: hic autem Innocentio Bubalo, quæstori apud Meliteneses Apostolico. Rescripsit Bubalus, ac Melitenensium spectatissimorum testimonio confirmavit, Patrum operam esse promptam singulis, communem & fructuosam universis: eos in urbe quidem Novâ degere; in utraque, ac per totam adeo insulam, laborare. Responsum Clementis fuit: Si præter Societatis collegium etiam erigi dotarique Seminarium possit; per se, ut fiat, licere: si nequeat, nihil innovandum. Hoc responso abruptæ sunt moræ, collegium ædificatum.

Virorum beneficentiam adæquavit, si non etiam superavit, mulieris egregia pietas, Magdalenæ Ulloæ, quæ duobus jam fundatis à se collegiis tertium, Santanderense eodem anno MDXCV, addidit, in provincia Castellana, & urbe Flavionavia, sive Andreapoli (Santanderum vulgus vocat.) Bilbili pariter apertum est à Societate stadium litterarium in urbis gymnasio. Est Bilbilis ampla civitas, in Aragonia, ad fluvium Salonem, Martialis poetæ natalibus nobilitata. Valentis Professorum domum inchoavit Joannes de Ribera, ejusdem civitatis Archiepiscopus. Adhuc Musæ, temporum & bellorum vitio, Tornaci contiguerant, quamvis ante annos quatuordecim per Alexandrum Farnesium restituta: *An 1581. n. 178.* nunc idoneo donatæ stipendio vocem ac pristina munia, ineunte Octobri, receperunt. Reversi pariter sunt Cameracum Socii, sed collegium nisi anno MDCIV, suis numeris absolutum non est.

Tirocinium Genuæ positum fuit in suburbana trans Bisamnem villa, quam Paviranum appellabant, conjuncta urbis pomerio, & donata Societati anno MDXCIII. à Dominico Lomellino, Genuensi patricio, non procul ab æde sacra Divi Joannis Baptistæ, quam tironibus utendam Aurelius Fliscus indulsit. Collocandi

8.
Domus, & Collegia anni 1595.

* II. Cor. 7.

* Joan. c. 15.

* An 1581. n. 178.

locandi quidem tirocinii consilium antea inierat ejus fundator Joannes Bernardus Uncia, civis ejusdem Genuæ primarius, in suburbio, quod Arenense vocant, sive S. Petri ab arena, ibique domum coemerat*: verum sedes Pavirana potior est visa, & ad omnes usus tirocinii opportunior: nec molestè tulit Uncia domicilium à se tironibus destinatum commodiore mutari. At P. Marcellus Pallavicinus, patricius Genuensis, in Societatem post obitum patris admissus anno MDLXXX. non contentus lautum patrimonium ad Tusculanas Societatis aedes excitandas, & ornandam Probationis Romanam domum, collegiumque, contulisse, majus aliquid in patria moliri decrevit, ac domum Professorum Genuæ ponere. Fundum & solum aedificii Societas dedit, nempe illud ipsum quod occupabatur à collegio, in alium subinde locum traducto. Templum pulcherrimum & amplissimum anno MDLXXIV. fundatum. Idem dedicatum est anno MDXCII. XVIII. Kal. Septemb. Initium vero domus aedificandæ factum anno MDXCV. Illi nomen S. Ambrosii mansit, quod fuerat collegio attributum ob aedem vicinam, D. Ambrosio sacram, ipsi collegio à Gregorio XIII. concessam, Ministeria collegii & Professorum domus in eodem exerceri loco necesse tantisper fuit, donec sedes alia collegio reperiretur. Hæc inventa non est ante annum MDCIII. Fundatoris jura nomenque communicari voluit Pallavicinus cum matre Magdalena Spinula, fratribusque suis, ut eos arctius adjungeret Societati, ac promptiores inchoati operis adutores haberet. Idem domum, à Bernardo Uncia tirocinio Genuensi Societatis donatam, in suburbio S. Petri de arena, neque tamen ab tironibus ob eas, quæ sunt allatæ, causas habitam, emit ab eodem tirocinio, & annuente Claudio Aquaviva, Professus dedit: ibique anno MDCV. aedula non inelegans, & nostris apta ministeriis, extructa magnam civibus, qui amenissimum hoc suburbium rusticandi causa petunt, afferre utilitatem pergit.

Musæ & litteræ quasi postliminio reductæ sunt anno MDXCVI. in oppidum Pedemontii Montem-Regalem, unde fuerant abactæ annis abhinc tribus & viginti. Quæ fuerit abigendi causa dictum anno MDLXXIII. Reducendi occasio potissimum hæc fuit. Non procul oppido, vallis amenissima visitur. In ea Deipararæ Virginis imago ab indigenis colebatur in pila lateritia sublimè stans, à qua factum statuæ nomen*. Sedato bello resoruit incolarum pietas, & advenas fama prodigiorum tanto numero excivit, ut festa luce Virginis in cælum Assumptæ, multa hominum millia, supplicantium ritu, nudis fermè pedibus, per aspera & prærupta montium juga convenerint. Congesta pariter in ararium aedula vis non modica pecuniæ, cujus partem conferri placuit in xenodochium, & aedem splendidiorem cœli Reginae construendam: partem in collegium Montis-Regalis restituendum, unde scilicet peterentur sacerdotes, qui eidem templo operam navarent. Adjunxit quod explendo idoneo vestigali deerat, tum civitas, tum vero Sabaudia Ducis munificentia; quam datis* ad ipsum litteris Clemens Pontifex collaudavit. Quanto ad Montis-Regalis collegium reparandum adjumento fuit publica pietas; tantum impietas attulit impedimenti ac moræ Torunensi. Est Torunum, sive Toronia, civitas Prussiae Regiæ, seu Polonicae, ad amnem Vistulam, emporium nobile. Populi minor pars tunc Fidem sequebatur catholicam, major hæresim. Hæc sacras aedes invaserat, relicta tantum catholicis in templo S. Joannis primario, ara principe, cum vicino spatio. Petrus Kostka Stembergus, Culmensis Episcopus, pro insito genti Kostkarum in avitam religionem, ac Societatem studio, collegium Culmæ constituere decreverat: propositum illi Torunum est, vicinum & frequentius oppidum. Assensit illustrissimus præsul, & adjutricem suscepti operis egregiam habuit Magdalenam Mortagiam, consanguineam suam, cœnobii Virginum Ordinis D. Benedicti antistitam in urbe Culmensi. Ne tamen Petrus Kostka operi manum ultimam imponeret morte præpeditus est. Laudis hanc partem reliquit Petro Tilicio, Culmensium antistiti, qui nihil habuit antiquius, quàm ut Patres Torunum deduceret, invitissimis hæreticis. Compressus paulisper Episcopi & Regis auctoritate illorum dolor aliquandiu intra convicia minasque se continuit: descripti fuere homines Societatis in libellis, depicti ad ludibrium in compitis, per vicos plateasque cantati: postremo

* *Supra. 46.*

9.
Incunabula domorum & collegiorum anni 1596.

* *La Madonna del Pilone.*

* *20. April. 1596.*

stremò fenatus tristes, atrocesque, dat Episcopo litteras, quibus omnino Patres amovendos denunciabat. Rescripsit, ut dignum erat, Episcopus, & illorum calumniis refutatis, domicilium Societatis Toruni posuit, collegii semen ac spem; interque tribulos errorum Divina brevi messis uberrimas fruges tulit, in quibus merito numerari debet repetita post annos admodum quinquagenos annua supplicatio, quâ sacrum Christi corpus in cœlesti ferculo circumfertur, Theophoriam Germani, Polonique, vocant.

Minori periculo fundatum est Aquilanum collegium, etsi jactationis plurimum habuerit. Aquila civitas Italiæ, Aprutii ulterioris est caput. Neapolitanus Prorex, Miranda Comes, anno MDXCII. egerat cum civibus, per Horatium Januarium, quem eò prætorem mittebat, ut domum Societati ponerent. Suam ipsa civitas obtulit, illam ipsam qua utebatur ad urbanos conventus; aliaque sumpsit aedes, in quas deinceps senatores & optimates convenirent. Etsi melior majorque civium pars de hac mutatione consenserat, nonnulli tamen, quibus illa displicuerat, facta coitione, alterum è nostris sacerdotibus, qui acciti venerant, discedere coegerunt: alter ab ipso Claudio Aquaviva paulo post revocatus est. Sed anno MDXCIII. Basilius Pignatellus, è sacra Theatinorum familia, creatus antistes Aquilanus, studia civium erga nos, quæ malevolorum sermonibus refrixerant, vehementius accendit. Eadem fovit redditus civitati ad habendas per Quadragesimam conciones P. Carolus Mastrillus, is quem Aquaviva, ut dixi, revocaverat. Redintegratum igitur negotium, & census à populo ita est promissus ad dotandum collegium, si Prorex levaret urbem in decennium onere militaris præsidii. Qui cum assensisset, jamque diploma conficeretur, seditionum, à collegio abhorrentium, tumultus eò gravius exarsit, quò rem ad exitum felicitus videbant promptiusque perducere. Discurrunt per urbem lymphati; vim gladioque intentant incredibili audacia. Prorex efferatos animos verbis mitigari posse diffidens, ferociore in arcem includi jubet. Ceteris hoc terrore diffidentibus, transactum in urbis conventu frequentissimo negotium est, ac tabulis publicis consignatum. Quieverere paucis mensibus adversarii, donec magistratus novi renunciarentur, quorum plurimos ex addicto sibi grege creandos curaverant. His freti, populum quâ largitionibus delinitum, quâ sermonibus invidiosis circumventum, convocant absente urbis præfecto, & priorem pactionem, tabulasque rite jam confectas, pronunciant irritas; nempe, ut aiebant, per vim & malis artibus extortas: simul Neapolim mittunt, ad Proregem: queruntur domum urbanam civibus ereptam, urbem in factiones scissam, graviora etiam instare pericula. Easdem querelas ad Præpositum Societatis deferunt. Non erat orandus operosè Claudius, ut ne beneficium conferret invitis. At Prorex coerendam remediis acrioribus proterviam existimans, Ascanium Muscettolam, consilii regii senatorem, Aquilam ire jubet, populi vocare cœtum; antiquare novissimum conventum, ut vitio coactum, & quæ in eo erant acta rescindere. Ita primum plebiscitum, in gratiam collegii & Societatis editum, novo decreto sancitum fuit. Necdum tamen Præpositus Generalis assentiebatur, vel popularem hunc Euripum incerto fluctuantem aestu, timens; vel Congregationis quintæ sanctionem reveritus, collegia cis Alpes vetantem admitti, quæ tricenos alere Socios non possent. Itaque submissis identidem, pro tempore, auxiliis Aquilanos juvare constituerat, donec supereretur census isti numero par. Sed Episcopi, ac Proregis, & civium preces, ipse demum Pontificis jussu vicerunt: & anno MDXCVI. initium publicè docendi factum. Plurimum hoc in negotio debuimus curæ ac sollicitudini Uxentini Episcopi, qui tum Aquila versabatur; item auctoritati Ambrosii Barreyri, qui regii urbis præfecti gerebat munus; ac demum virtuti Patris Sertorii Caputi, qui singulari vitæ sanctimonia non modo sermones invidiorum compescuit, sed etiam omnium animos suavissimo vinculo in perpetuum Societati devinxit. Sic terroris plus, quam detrimenti tempestas hac dedit: utrumque Gaditano collegio procella multò tristior intulit.

Imminebat Angliæ regina in omnem occasionem Hispanis vicem referendi, à quibus haud ita pridem attentatam maximâ classe Angliam meminerat. Claf-

sem ipsa quoque instruit, & Gaditanum portum insulamque occupat. Urbs direpta; naves undecim Hispanæ, mercibus onustæ, & vela brevi facturæ in Americam, ne venirent in hostium potestatem, ab ipsis Hispanis incensæ, incredibili mercium ex Europa tota congestarum jactura. Erat in urbe collegium sexdecim Sociorum, qui prætoris jussu in arcem recepti, tantum ad eam tutandam momenti attulere, ut Angli ceteras inter leges deditiois, quas obsessis proponebant, id nominatim exceperint, ne qua pars veniæ, aut ullius beneficii victis concedendi, ad Jesuitas pertineret. Arce defensa fortiter & servata, detonuit eorum furor in collegium, cui utcumque servando duo è nostris fratribus relicti fuerant: ambos invadunt stricis mucronibus: alterum quia thesauros, uti jactabant, abditos non indicabat, diris modis torquent; alterum, quia sacras imagines consputare abnuebat, pugnis calcibusque contundunt, & debilitato fustibus capite, seminecem humi sternunt. Inde ad vastandam domum versi, suppellectilem sacram præsertim ac librariam, frangunt & corrumpunt eò immaniùs, quod Hispanorum virtute pellendos se brevi ac fugandos intelligebant.

Gaditana cladis marem minuit Probationis domus pridem extrui cœpta Tarracone, nunc demum inita & frequentata. Beneficium hoc duobus præsertim civitatis Archiepiscopis debetur, Gaspari *Cervantes*, qui opus inchoavit: Joanni *Teres*, qui promovit: adjungendus etiam Jacobus Nebotus, Canonicorum Prior, ut vocant, qui pia liberalitate illud idem absolvit. Nec minus de collegio Vallisoletano bene meritus est Didacus Romerus, Tlascalæ in America Mexicana Episcopus: fundatoris nomine, quod adeptus hoc anno est, ob insignem munificentiam dignissimus. Accessit aliud Hispaniæ ornamentum è collegio Madritensi, cujus scholæ cum frequentiam auditorum non caperent, conditæ sunt novæ, quæ responderent amplitudini ac dignitati civitatis; tum etiam numero discipulorum ac pietati, quippe quorum amplius triceni religiosa instituta eodem anno MDXCVI. amplexi memorantur.

IO.
Domus, & collegia anni 1597.

Romanum tirocinium insigniter amplificatum fuit anno sequenti. Isabella Feltria-Roborea, Guidobaldo Urbini Duce genita, nupta vero Bisiniani Principi, filium ex eo susceperat unicum, Joannem Theodorum, Sancti Marci Ducem; parentum delicias, & spem domus opulentæ, sed immatura morte in ipso ferme ortu succisam. Moriens filiolus Societatem JESU, quam ambierat, matri commendavit. Auxit Isabellæ eximiam in Ordinem nostrum benevolentiam commendatio filii: bonorum partem, cum gemmis & mundo muliebri, tirocinio Romano destinavit: & erat ea muneris amplitudo, ut fundandæ domui sufficeret. Sed conditi tirocinii titulum & honorem S. Franciscus Borgia pridem detulerat Annæ Aragoniæ-Columnæ, Marforum, sive, ut vulgo vocant, Taleacotij Duci: & quamquam attributum ab illa vespigal tempore procedente factum esset angustius, nihilominus pro nostra in Columnensem domum observantia, nihil mutandum. Aquaviva censuit: sed rem totam ita temperavit, ut ad veterem Probationis domum, in monte Quirinali positam, adjungeretur accessio, & alterum quasi tirocinium, sub ejusdem tamen rectoris cura; cujus fundatores dicerentur Isabella Feltria-Roborea, ejusque filius Joannes Theodorus Sanseverinus. Opportunitatem rei conficiendæ magnam obtulit templum S. Vitalis Societati datum. Est illud in Quirinalis montis clivo, quæ versus orientem solem deprimitur, hortosque tirocinii attingebat: nobilitatum olim Canonicorum collegio, titulo Cardinalis, & verni jejunii prisca Statione. Consecratum pridem ab Innocentio I. cum Vestina illustris femina Romana, illi ædificando aurum & gemmas testamento reliquisset, circa annum à Virginis partu quadringentesimum tertium. Unde etiam appellatus Vestinæ titulus reperitur. Jam semirutum ac desertum jacebat, adeo ut Alexander Cardinalis Medicæus, cum urbana templa jussu Pontificis recognosceret, nullam ejus reficiendi, & instaurandi rationem aliam videret, quam si Societati transferberetur. Annuit Summus Pontifex: nec onus reficiendi templi tuncdique recusavit Aquaviva, modò liberum, ac juris alieni penitus immune traderetur. Itaque remoto in perpetuum, per Apostolicum diploma * titulo Cardinalis, in potestatem Societatis Idibus Februarii anni prioris venerat: cœperatque locum

* Die 20. Nov.
1595.

locum reparare Claudius & ornare, cum Isabella Feltria liberalitas facultatem operis absolvendi dedit. Eadem Isabella Feltria cum filio, ut ipsa optaverat, Neapolitanæ Professorum domus fundatæ titulum adepta est. Et si enim matrona illustris altera, Roberta Carafa, Principis Astiliani filia, Maralunensium Ducis vidua, quæ jam collegii Neapolitani parens merito vocabatur, Neapolitanam quoque domum fundare cupiens, certam pecuniæ summam huic negotio destinasset: cum tamen, ea mortua, lites ortæ graves fuissent super hujusmodi pecuniæ; litibus & ambiguo censui nunciis remissis est, acceptaque Isabella Feltria liberalitas minimè litigiosa. Præclarum sui de Societate judicii dedere testimonium eodem anno Illustrissimi Romæ Conservatores Laurentius Alterius, Clementis X. pater; Joannes Baptista Burghefius, frater Camilli Burghefii, postea Pauli V. & Bernardinus Maffei. Hi decretum ediderunt Societati Romanæ perhonorificum, testati palam *Quanti facerent curam Parrum assiduum in precando, contionando, juventutem numerosissimam docendo.* Verbis munus addiderunt, ut nomine Senatus Populique Romani quotannis ædi Professorum Farnesianæ calix argenteus cum cereis quatuor majoribus offerretur, ultima post Pentecosten-Dominica, in quam templi ejusdem dedicatio incidit. Exinde id singulis annis solenni usurpatum ritu, Excellentissimo Senatore, & Illustrissimis Conservatoribus liberalitatem Urbis annuam sua præsentia cohonestantibus, ac Præposito vicissim Generali ceterisque Patribus, obviam ad valvas templi prodeuntibus, & peractâ re Divinâ, nobile agmen reducentibus.

Insignis quoque Ferdinandi Archiducis munificentia eluxit in condendo Labaci collegio, quæ civitas Carniola caput est. Ejus rogatu Pontifex anno superiore templum desertum ac cœnobium, olim à Patribus Franciscanis, quos Observantes appellant, habitatum Societati assignaverat. Sed cum hæc sedes parum idonea litterariis exercitationibus videretur, collegium commodiore loco positum est, haud levi tum catholicorum, tum etiam hæreticorum, emolumento.

Non tam pacatè, quàm Labaci, collocata Glacii Societas fuit. Est Glacium, caput Comitatus in Bohemia. Ibi ædes erat insignis Divæ Mariæ, ac Præpositura, ut vocant, Canonicorum Regularium S. Augustini, quam solus ex Ordine illo tunc obtinebat Christophorus Kermiserus, vir apprimè catholicus; atque adeo summo cum dolore cernens urbem fœda recentium errorum peste miserum in modum vitiatam. Pestilentia cathedram præcipue insidebat Gaspar nescio quis Swenkfeldius, constat è promiscua variarum hæresum colluvione monstrum. Ex ejus discipulis unus aliquis non contemnendam testamento legaverat pecuniæ summam, pios in usus expendendam. Placuit magistratui Luthe-ræo gymnasium inde condere, scholam impietatis. Timuit Kermiserus ne veniret Præpositura in hæreticorum manus, aut aliorum etiam, qui beneficiis interdum ecclesiasticis ad Ecclesiæ dedecus ac suam perniciem abutuntur. Eam Societati tradere, ad collegium, & pietatis Seminarium excitandum, decrevit. Nuncium Sedis Apostolicæ in aula Cæsarea consultit, eique rem summopere probanti, eandem Præposituram, ut Pontificio administro, ad condendum Societatis collegium rite tradit; annuentibus Pragensi Archiepiscopo, & Rudolpho Cæsare. Omnia rata Pontifex habuit. Exarsit ad Jesuitarum, tanquam hostium capitalium, adventum hæretica factio. Conveniunt frequentes Glacium: querunt à rectore collegii quo jure, qua auctoritate, Præposituram invaserit. Facilis fuit responsio, nihil nisi jure actum. Mittunt nihilominus Pragæ delectos accusatores cum grandi libello. Patres, ut iniquos possessores alienæ rei, ut publica perturbatores, incusant. Tulit molestè Cæsar hominum contumaciam: possessionem justam ac legitimam edixit, & quotquot libellum subscripserant, Pragæ usque vadatus est. Lucro apposuerunt quod graviores audaciæ pœnas non darent. Hos animorum æstus perspecta collegii utilitas, ac Sociorum in publica commoda strenuè incumbentium caritas sincera mitigavit. Olisippone domus propria tironibus est data: nam antea in collegiis sparsim debebant. Fundator Ferdinandus Telles domicilium extruxit, ac censum constituit.

Promissum Vefuntioni ab annis tribus collegium, datum denique & stabilitum fuit. Ea civitas primaria Sequanorum est. Gravissimo versabatur in periculo propter viciniam Genevensium & Basileensium, à quibus hæresis per commercii libertatem importata, clarissimam urbem turpi jugo subijcere tentabat. Jam ab anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo quinto Vefuntinorum animi tanto excitati periculo, & Patris Nicolai Clari concionibus permoti, collegium percipiebant; paucis dissentientibus, qui solutioris vitæ cum essent, ac fortasse occulti hostes Fidei & religionis, frenum sibi, accita Societate, injectum iri crediderant. Vocatus est Dolâ Provincialis P. Bernardinus Castorius, ut rem cum civibus conficeret. Verum is adveniens mutata reperit omnia. Adversarii falsis rumoribus, & compositis per calumniam fabulis, ita commoverant plebem, ut orator qui contra nos diceret comparatus fuerit, ejusque orationem vi & armis adjuvare populus decreverit. Itaque cum urbanam basilicam, quò cives convenire solent, ingressurus esset Castorius, repente ad fores multitudo seditiosa concurret. Erupturum in cladem haud dubiè tumultum compressit unius è magistratibus prudentia. Ille vociferantem turbam circumspectans, caudicium, qui pro populo dicturus erat, velut in acie prima stantem, videt. Arcessit; in auremque insufurrans, Audio te, inquit, seditiosorum esse ducem, & orationem huc afferre meditatam: id si feceris, sic habeto, post horas tres supplicium de te in hoc foro, iudice me, sumendum. Percussus tam strenua denunciatione orator dirigit, & in turbam se recipiens, sensim dilapsus est. Convenere delecti civitatis proceres. Fremit populus, & oratorem suum audiri flagitat: qui trepide conquistus & inelamatus cum nusquam appareret, desituta voce plebs & capite paulatim abscessit. Compositum placide cum P. Provinciali negotium: scripta à civibus ad Summum Pontificem litteræ, cujus jussu Claudius Aquaviva collegii causam sedulo susceperat. Sed exortum anno MDXCV. bellum, & ingentes pecuniæ ad prohibendam vastitatem regionem, à civibus annumeratæ, illorum vota distulerunt usque in annum MDXCVII. quo sub initium mensis Junii scholæ patuerunt. Ad eundem annum referuntur Ilerdensis collegii primordia, cum Margalefus, vir clarissimus, ejusdem urbis Canonicus, moriens partem fortunarum Societati legavit eo consilio, ut Ilerda magistros litterarum acciperet. Calissiensis quoque collegio additum fuit ab illustrissimo antifite fundatore contubernium, quo nobiles sexaginta juvenes alerentur, patriæ decus olim ac præsidium futuri. Actum est per idem tempus de provincia Poloniæ in Polonicam, & Lithuanicam dividenda. Id Aquaviva & plerique alii omnino faciendum censebant: de ipsius partitionis modo lis erat; Polonis Prussiam assignari provinciæ suæ; Lithuanis eandem suæ contribui, petentibus. Favebat hæc Polonis ratio quod aliter Seminario carituri forent, Lithuani vero duplex habituri, Vilnæ unum, Brunsbergæ alterum. Aquaviva Provinciam in præsentia quidem non divisit, sed rei veluti tentandæ, ac periculi faciendi causa, Lithuanicam præfecit Fridericum Bartsium, qui vices & munus Provincialis obtineret, ac Polonia Provinciali esset obnoxius. Ut vero Poloniæ provincia suo Seminario non careret, illud Posnanæ collocandum Aquaviva duxit. Socii Rhenani postulavere, ut quoniam nihil deesset Hildesienæ sedi ad justum majoris familiæ modum, jus ei nomenque collegii traderetur: æqua postulare sunt visi. Onnatense collegium post longam deliberationem Vergaram translatum fuit. Sardis Patribus, qui ad hanc diem Aragoniæ contributi per vicarium Provincialis regebantur, concessum est ut proprium haberent præsidem, qui Sardinia provinciæ præset, Petiere Lusitani ut fundator Olisipponensis domus Professorum renunciaretur Joannes III. Lusitanicæ Rex, siquidem omnia præstitisset, quæ huic nomini promerendo sufficerent; ac Societatem universam paterna complexus cura fuisset. Justissima petitioni Præpositus Generalis libentissimè concessit.

II.

Natales domorum & collegiorum anni 1598.

Anno MDXCVIII. cum in Gallia P. Franciscus Solierus omnes evangelici operarii partes impigrè obiret, incendit Lemovicenses cupiditate collegii, quod anno sequenti penitus constitutum est, summo cleri populique assensu. Non minori contentione yariæ urbes ejusdem Galliæ Societatem expetebant, Quas inter cum

cum enixius instarent Tutela, Bliteræ, Castra, neque satisfieri votis omnium simul posset, sacerdotes aliquot pro tempore sunt submissi. At collegium in Thurocziensi Comitatu positum, quod adhuc Varalliæ steterat in loco parum celebri, & à discipulis penè deserto, collocatum est Salæ, sive Sellæ, ubi jam stationem Societas habebat. Sellia iter diei tantum abest Javarino, quod oppidum Turcis ereptum per id tempus majorem transferendi Selliam collegii facultatem dedit. Relictâ demum Sellia, Tyrnaviam translatum est anno MDCXV. Ferdinandus Archidux Græcensî collegio Millestadium attribuit. Est id oppidum in superiori Carinthia, distans Græcio iter quattridui, inter Dravum, Liferamque amnes, ad ingentem lacum, quem Rosbacus fluvius efficit. Conditum, seu coeptum frequentari tradunt sub annum DCCLXXX. quo tempore sanctus Domitianus, Carinthiæ & Noricorum Dux à Virgilio, Salisburgenfî antistite, Christiana sacra edoctus, mille statuas (unde Millestadio nomen) quæ ibi Diis ethnicorum postæ fuerant, in lacum demersit. In eodem oppido nobile cœnobium alumnis S. Benedicti conditum est ab Erbone dynasta Norico, ante annum Christi MCII. Mansit cœnobium oppidumque in Benedictinorum potestate usque ad annum millesimum quadringentesimum sexagesimum octavum, quo Federicus Tertius (alii Quartum vocant) Imperator, Pauli II. Pontificis voluntate, utrumque attribuit militari Ordini S. Georgii, à se instituto ad tutandam contra Turcas religionem. Sed hoc Ordine post annos paucos soluto ac dissipato, Millestadium ad Austriacos Principes rediit. Tandem hoc anno Ferdinandi Archiducis liberalitate & Pontificis Maximi auctoritate, Societati assignatum est, ad foundationem collegii, & academiæ Græcensî in Styria*. Claudius Aquaviva diu, tanquam ab invidioso negotio, refûgit: nec ante perduci ad assentiendum potuit, quam rescivisset oppidanos magnum ex eo fructum percepturos, quippe qui strenuis sacerdotibus destituti, errorum ac vitiorum lolio silvescerent. Rector collegii Græcensî Richardus Hallerus, inita loci possessione, regionem omnem ad pietatis & Fidei pristinam integritatem brevi reduxit; inde tamen non ita multo post revocatus Græcium est, ut cum Margarita, Ferdinandi sorore, Philippi III. sponsa, in Hispaniam proficisceretur, eique a sacris esset confessionibus.

Idem Ferdinandus anni MDCII. Kalendis Januariis Græcensî collegium ingressus, diploma bullis argenteis & Austriaco sigillo munitum protulit, quo Millestadiensis monasterii prædia, & jura, nec non alias immunitates, ac facultates eidem collegio frundas perpetuo munere concedebat. Grates egit amplissimas collegii moderator nomine totius Societatis, palam contestatus parem gratiam immortalibus Augustissimæ domus beneficiis persolvi à nobis non posse: habituros quidem certè quantam animi capere nostri, quantam prædicare voces, ac literæ posteritati consignare possent. Ad extremum totius collegii obsequia, labores, preces ipsi prolixè detulit, Superos obsecrans, ut solitis beneficiis Principes munificentissimos augere pergerent, & quam vicem tenuitas nostra non poterat, ipsidem cumulativè referrent.

Inexpectata similiter piorum liberalitas Domum Professorum Varsaviensem, & Leopoliensî collegium excitavit. Varsaviæ quidem jamdudum optabatur aliqua Societatis domus; cum princeps Mazoviæ civitas ea sit, nec raro sedes regum Poloniæ, regniq; comitorum. Ejus fundandæ hæc oblata præter spem occasio. Condiderat in eadem urbe P. Scarga fodalitatem Misericordiæ, quæ pauperum erumnas levaret: addidit fodalitatem S. Lazari, quæ operam navaret infirmis. Ea re permotus Zachæus Pikarskus, Archidiaconus Plocensîs, idemque Varsaviensîs Canonicus, & nosocomii vectigalia auxit, & ad coemendam Patribus domum pecuniæ vim hand modicam donavit. Meditabatur jamdudum Stanislaus Staniskus collocare Societatem in oppido hereditario Liesko, in finibus Russiæ, & Hungariæ; ut esset præsidium adversus ingruentem hæresim. Poloni Patres vehementer suadebant, ut potius aliquod è Russiæ collegiis firmandum stabilendumque susciperet. Nec abnuit Staniskus, & ad Leopoliitanam sedem curas ac munera contulit. Stimulata exemplo benignitas multorum eò facilius in unum conflavit, quod operi toti se imparem quisque sentiebat. Prævit ceteris Stanis-

*Vide Bollandi
in vita S. Domitiani
ad diem V. Febr. §. 1. 2.

Iai frater Adamus Staniskus. Collegio tamen Leopolitano sua forma & perfectio ante annum MDCVIII. non adfuit. Venit merito in hunc hominum de nobis bene hoc anno MDXCVIII. meritorum numerum Senatus Colonienſis, cuius munere Sociorum domus conjuncta cum gymnasio fuit, à quo erat antea ſe-juncta. Datum olim in hac urbe clariffima Societati fuerat unum è collegiis publicis, cui Trium Coronarum nomen: ſed anguſtius, quàm ut ſcholis & religioſæ multorum capitum familiæ ſufficeret; quamobrem ædes noſtræ procul à gymnasio aberant, non ſine gravi magiſtrorum incommodo, ac detrimento temporis, quod in comendo ponebatur. Piæ cujuſdam virginis teſtamento relicta nobis domus collegio vicina, rectorẽ admonuit, ut contiguas alias compararet, Senatus, ut eum in locum transferri collegium ſinceret rogatus annuit, modo permaneret in academiæ corpore, nomenque, & inſignia Coronarum, Trium retineret.

Montibus, in Hannonia, ſedem annis ab hinc duodecim Societas habuerat: ſcholas hoc anno primùm aperuit. Debentur hujus collegii primordia heroi Belgico Alexandro Farnelio, Duci Parmenſi, qui non tam armorum, quam morum & virtutum præſidia depopulanti Belgium hæreſi opponenda judicans, præcipuas urbes collegiis Societatis muniendas curabat. Itaque partem neceſſarii collocando Montibus collegio veſtigialis parare anno MDLXXXIII. ſtuduerat: partem reliquam civitas anno MDXCVIII. adjunxit. Redditæ ſunt ſcholæ collegio Pompelonenſi, quas à biennio deferendas Patres cenſuerant, quod minus gratæ civitati eſſe viderentur, cum ſatis idoneum, ubi litteræ traderentur, locum nemo procuraret; ac neſcio quis ludimagiſter, ab oppidanis conductus, negotium præceptoribus noſtris impune faceſſeret. Scholarum utilitatem carento ſenſerunt: revocati magiſtri Societatis: inſtantibus præſertim Antonio Zapata, Epifcopo; & Prorege Joanne Cardona. At Romæ Bellarminus à Pontifice impetravit ut Seminariis provinciarum ſeptentrionalium ſtata ſ penſiones non modo exſolvere pergeret, ſed etiam pernumeraret aliquanto jam tempore intermiſſas. Quod etſi Clemens Pontifex haud gravatè præſtaret; quippe cui perſpecta ejuſmodi Seminariorum utilitas maxima; interdum tamen de Gregorio XIII. querebatur, quòd operum tantorum molem humeris poſteriorum Pontificum impoſuiſſet: verum Gregorius malebat non omnino perfectæ relinquere, quam non inchoata: & ſane vix nova condita ſunt, ſtetere jam inſtituta.

Anno MDXCVII. fecerant initium laborioſæ miſſionis Niciæ, in Provincia, PP. Auguſtinus Confalonierius & Michael Pererius, id agente præſertim clariffimo cive Nicienſi, Pontio Seva; cui cum in animo eſſet aditum Societati dare in patriam, illius deſiderio cives ſuos afficere cogitabat, vocatis Niciam Patribus. Res tardius quam putaverat ſucceſſit, nec niſi poſt annos octo locus collegio eſt datus. Niciam ingreſſi Patres urbem invenere turbatam anxiamque bello; occupatam quoque ſiniſtris de Societate noſtra rumoribus. Quibus permoti complures è religioſis familiis & clero, cum antiſtite queruntur intromiſſos Societatis Patres; perturbatores pacis, ejeſtos nuper è Gallia; Niciæ haudquaquam neceſſarios. Epifcopus, quò Patribus & clero ſatiſfaceret, ita illos admittit, ut audire quidem conſtitentes, & Chriſtianam doctrinam explicare fas eſſet; verba vero ad populum facere, neſas: quin, illos ſevere increpuit, quod civium inirent domos, & ſermones de rebus divinis privatim ſererent. Itaque ab omnibus deſtituti, calumniis, & obtrectationibus deformati, monſtrabantur digito prætereuntium, aut intra parietes continere ſe cogebantur. Quinque meſes in his anguſtiis fluxerant. Adeunt Epifcopum denique, & Si noſtra ſponte, inquiunt, ac privati cujuſpiam commodi cauſa, Niciam veniſſemus, nequaquam profecto tandiu, tot inter moleſtias, taciti ſteſſemus: ſed cum Dei gloriæ, & hominum commodis, ac ſaluti ſervire ſtudeamus, initium nobis à patientia, & ab ea, quam tibi cum fide præſtitimus, obedientia, faciendum eſſe duximus. Hæ noſtræ ſunt partes. Tuas viciffim eſſe vides patrociniũ æquitatis religioniſque ſuſcipere, & quid veritas ſerat, quid obtrectatores objiciant, quid ſpectent, pro tuâ ſapientia pendere. Hunc in modum dicere aggreſſi reſellunt ſingula, quæ ipsis objiciebantur,

tur, vitæ suæ rationem, ac ministeriorum exponunt: quid spei affulgeat, si præ-
 sul veritati favere palam ausit, quid immineat contrâ periculi, ac detrimenti ci-
 vibus & pietati; quid ipsi privatim dedecoris ac noxæ, si suæ fidei creditos de-
 stituat, modestè reverenterque demonstrant. Præsul, homo consideratus ac pru-
 dens, illos vera loqui, seque malevolorum sermonibus circumventum sensit.
 Quare post dies paucos accitis liberrimam, & amplissimam rei pro suo institu-
 to gerendæ potestatem facit. Continuo, velut hyeme discussa, serenum ver il-
 luxit. Frequens populus ad conciones, ad sacrum pœnitentiæ tribunal, ad au-
 dienda doctrinæ cœlestis elementa, concurret. Usus orationis, librorum piorum
 & sacramentorum, creber inductus: proscriptæ choreæ periculosæ, & nocturna lu-
 dica; cognita demum Societas, & ejus utilis labor Summo Pontifici magna-
 cum laude significatus per ipsum Episcopum; à quo etiam susceptum est fundan-
 di collegii consilium. Sed illud ejus obitu improvise perducitur ad exitum non po-
 tuit; ac brevis tranquillitas in fœdam tempestatem est commutata. Societatis
 adversarii, amoto præsulis metu, Patrum famam indignissime concerpunt, li-
 bellos etiam Taurinum, Genuam, Venetias usque dissipant omnium criminum
 venenis imbutos; calumniarum præcipuo artifice Canonico insigni, de quo meriti
 quam optime Socii fuerant. Rursus igitur in solitudinem, & ingratum otium
 rejecti, alter in arcem, ad militare præsidium excolendum; alter in ultimam, &
 fere neglectam urbis regionem, se conferunt. Instillatus amor pietatis ferocibus
 militum, qui arcem obtinebant, animis brevi consueta scelera, impuras voces
 & impias, jurgia, & sacrorum contemptum, excludit. Novam arcis faciem ad-
 miratus gubernator se, cum familia, Patri regendum dedit; piis meditationibus
 à S. Ignatio in utilissimum ordinem olim digestis, mentem exercuit; ac plebem
 ab odio Societatis paulatim ad amorem traduxit. Fama denique Sociorum vin-
 dicata palam est per Franciscanum, quem Canonici ad habendas conciones evo-
 caverant. Sed nihil ad rem in integrum restituendam plus profecit quàm Petri
 Ubelotti funesta mors, quæ anno MDXCIX. contigit. Niciensis erat, cooptatus
 in Societatem ante aliquot annos. Niciam redierat valetudinis causa: quam dum
 plus nimio curat, in graviorem incidit animi morbum, qui facile inter affines à
 religiosi viris contrahitur; nempe tædium vitæ sanctioris. Ex illo tædio delapsus
 ad gravia flagitia, & ejectus è Societate, impotentis animi virus in eam evo-
 muit. Vitiiis morbisque confectum adiit P. Confalonarius, & ad pœnitentiam
 hortatus, veniam scelerum obtulit. Cui miser, Mihine, exclamat, veniam tot
 scelerum? hoc vero fieri non potest. Imo, retulit sacerdos, fieri, ac facile qui-
 dem, si per te non stabit, potest. Urgentem amicè Confalonarium & obsecran-
 tem repulit perditè obstinatus, ac tribus post horis interiit. Valuit etiam pluri-
 mum ad conciliandam populi benevolentiam nostrorum caritas, qui, exorta pe-
 ste, ulro in omne discrimen caput suum objecerunt. Itaque decretum est, ut
 in publico civium confessu de collegio Societatis ageretur. Efferavit adversarios
 hic nuncius. Concurrunt, quasi ad certamen decretorium, & solitis machinis
 consilium disturbant. Iterum tamen de eodem negotio deliberatum est anno
 MDC. Subiit civem, genere, ac munere quod gerebat in oppido, conspicuum,
 & præcipuum turbarum recentium artificem, pœnitentia & pudor. Sponte Con-
 falonerio indicavit, se virulenti scripti auctorem esse, quo uno maxime attrita
 Patrum fama fuerat. Delictum publice confessus, intermissam de collegio delibe-
 rationem ut civitas repeteret effecit. Jam area collegio idonea parabatur, cum
 spem latissimam, velut herbescentem frugem, nova tempestas, ac duorum civium
 malevolentia profligavit: qui deinde Superis pœnas, alter exilio & familia
 florentis ruina, alter impia morte, non obscuras dederunt. Sed quanto majores
 conatus velut conjurati cum hominibus inferi adhibebant, tanto acrius contra
 nitebantur Socii, ut civium animis quamcumque possent opem afferrent. Excur-
 rit Villam-Francam Confalonarius ad triremes Ducis. Plerisque Mauris ac Ma-
 hometanis baptismum; hæreticis, cum Ecclesia reconciliationem; desperatis &
 in criminum cæno jacentibus, emergendi facultatem, dedit. Major sub anni fi-
 nem Patres labor exceperit. Obsedit Niciam Gallicus exercitus. Plurimis in ar-
 cem

cem confugientibus, & illos ut eodem se reciperent obsecrantibus, restitere, media inter tela, nec plateas oppidi ac muros diu noctuque obire, milites accendere ad rem bene gerendam, faucibus & cadentibus adesse, destiterunt. Ea caritate, his officiis, repressus livor obticuit. Probi omnes de retinendis ac stabili domicilio donandis Patribus fidentius egerunt. Nihil tamen penitus constitutum fuit ante annum MDCVI. ut postea referemus.

Plures annos Anconitani collegii negotium, at paulo pacatiora, tenuit. Ante annos septemdecim designatum fuerat: cum Pantasilca Polydora, lectissima femina, civis Anconitana, post obitum unici filii, tertiam fortunarum suarum partem Societati donasset ad collegium instituendum. Inciderunt varia impedimenta, & molesta lites, quibus demum, studio præsertim Caroli de Comitibus, Anconitani tunc Episcopi, compositis, magistri literarum Anconam Kalendis ipsis Januariis anni MDXCVIII. profecti, paratas continuo scholas inierunt. In provincia Neapolitana, cum Beneventani Societatem percuperent, neque ad collegium res essent maturæ, jacta sunt Professorum domus fundamenta. In Sicula, collegii Panormitani fundator est declaratus Joannes Platamonus, cujus sumptibus inchoata fabrica collegii ad culmen assurrexit. Extrema quoque manus accessit collegio Calaritano in Sardinia, cum Anna de Servillo ac Brundo, matrona urbis primaria, sine prole decedens, hereditatem Patribus testamento legasset. Hauserat hunc erga Societatem animum à suis parentibus, qui ad ejusdem collegii ædificationem plurimum etiam contulere. Non desuerunt obsecratores qui testamentum illud irritum esse pugnarent, ac litem Sociis intenderent; sed iudices, è regio consilio delecti, causam collegio adjudicarunt: & accusatorum alter, post menses admodum paucos gravi morbo implicitus, Patribus accessit, quæ dixerat adversum illos feceratque condemnavit ultro, multis audientibus, ac velle indicta & infecta declaravit. Alter in morbum itidem delapsus periculosum, cum antea criminatus nostros esset, quod in testamenta furtim irrepererent, & supremis tabulis struerent insidias per causam & nomen sacræ confessionis, non modo dicta recantavit, sed etiam confessarium è Societate adscivit, ac bibliothecam suam moriens collegio reliquit.

Promerita maximis in Societate beneficiis est Magdalena Ulloa, ut morientem hoc eodem anno MDXCVIII. pia laude prosequamur, cujus, dum viveret, liberalitatem toties experti fuimus. Originem ducebat è Marchionibus de Mora, & Comitibus de Luna: viginti annos cum viro Ludovico Quixada egerat; tantaque fuerat utriusque concordia, pietas in Deum, misericordia in calamitosos, comitas in domesticos, studium in republicam, ut conjugum Christianorum forma, exemplumque, censeari possent. Easdem virtutes coluerat soluta viro: cumque ille multa aureorum millia pios in usus, præsertim ad sublevandos arumnosos, ultimis ceris legavisset; ipsa per septem & viginti, quos vidua confecit, annos, in eisdem usus non pauciora expendisse fertur. Villagarciensem Societatis domum ædificavit, collegia Ovetense, & Andreapolitanum, seu Santanderense, condidit, ornavitque. Haud promptum est enumerare quot xenodochia erexerit, quot captivos in libertatem vindicavit, quot familias egestatis pudore oppressas sustentaverit, quot obrutas ære alieno liberaverit. Pietatem hanc faciebat admirabiliorem aliarum conspiratio virtutum. Memor Apostolica vocis, quæ viduas deliciis deditas, pro mortuis habendas pronunciat*, non modo ab inanibus abhorrebat oblectamentis, sed etiam corpus durè atrociterque cilicio, flagellis, varia pœnarum solertia, divexabat. Cibus vulgaris & obivus, tritæ atque interpolatæ vestes; nulla lectulo vela, nulla parietibus aulae circumjecta. Ter in hebdomada sacram repetebat confessionem; ter coelesti pane vescabatur. Quotidie, præter solitas preces, binas coelestium bonorum meditationi horas, alteram mane alteram post meridiem, tribuebat. Eo curarum & pietatis suæ partem non exiguam conferebat, ut Augustissimum Sacramentum decorè ac splendide haberetur; cumque audivisset in Asturia parum pro dignitate asservari, statim octonis millibus nummum aureorum, ciboria sacræque pyxides confici, & in pagos dividi jussit.

12.
Magdalana
Ulloæ liberali-
tas in Societa-
tem.

* 1. Timot. 5.

Est Berga, seu Fanum S. Vinoci, oppidum in Flandria Comitatu, non procul Dunkerca. Collegium civitas jampridem enixe postulabat. Ejus vota differri ultra annum MDXCIX. non potuere. Litterarum tamen quieta certamina bellico fragore paulisper initio fure turbata: sed anno sequenti, quies amica Musis rediit: nec ita multo post collegium suis ædificiis & ornamentis est ædum. Negotii plus & laboris fuit in statione Atrebatum collocanda. Matthæi Moulartii, Atrebatensis Episcopi, alienior animus à Societate, moras graves afferebat quominus in hoc oppido Artesiæ primario & frequentissimo Societas consisteret. Interim civitatis quæstor, cum careret prole, moriens aliquantum pecuniæ reliquerat ad collegium Societatis excitandum, si modo senatui, Episcopo, & PP. Capucinis, ita videretur, quos rei arbitros, & testamenti curatores instituebat. Capucinis eam procurationem ad se pertinere negantibus, petiit civitatem, ut voluntas testatoris, de collegio Societatis ædificando, significata supremis tabulis, rata per senatum haberetur. Dissentiebat Episcopus, & alia quædam opera, utilitatem publicè habitura proponebat. Reclamante populo, veritus invidiam civium & offensionem præsul, de collegio consensit ille quidem, sed ejusmodi apposuit conditiones, ut negotium penitus omitti Aquaviva jussit. Perstabant nihilominus Atrebatenses in proposito, nec Episcopum urgere cessabant: qui precibus & studiis eorum victus se remisit, conditionesque multo commodiores proposuit. In eas donec utrimque conveniretur, bini è Societate sacerdotes cum totidem adiutoribus rei domesticæ, quasi ad specimen dandum, accesserunt, ac summa populi lætitia excepti, concitatam de se opinionem, obeundis, quæ in Societate sunt usitata, muniis, egregiè sustinuerunt, præsertim tradendis Christianæ doctrinæ elementis; confluyente, præter pueros, tanta populi multitudine, ut fora ipsa & plateæ essent angustæ, spectacula ludicra frigerent, ludionesque mæsti, quibus magna fere abundant oppida, suas nugas aliò & theatra deponerent. Antistes, qui Societatis homines ex invidorum, aut malevolorum sermonibus tantum cognoverat, jam propius veriusque perspectos amare cœpit: neque per illum stetit quin collegium statim conderetur, si longiorem illi usuram vitæ Superi concessissent. Anno MDCL. actum est impensus de collegio extruendo. Illud suis ædificandum sumptibus recepit abbas S. Vedasti; neque promptius promisit, quam magnificentius præstitit. Parmæ, in Longobardia initium academix factum, quæ studiorum universitatem complecteretur. Datus in ea Societati locus. Læta primordia celebrata sunt festo Musarum, linguis omnibus gratulantium, plausu. Profectus anno MDXCIX. P. Bernardinus Castorius Tononium, urbem agri Caballici primariam, ad lacum Lemanium, ut opportunitatem loci spectaret ad condendum collegium, quod Sabaudix Dux, tanquam propugnaculum hæresi opponere cupiebat; stationem ibi temporariam collocavit. Interim Princeps munificentissimus collegium Camberienfe templo, ædibusque ad obeunda gymnasii munia commodis carere cernens, & utriusque structuram ædifici ad suum, ac provinciæ splendorem pertinere arbitratus, utrumque inchoavit, & procerum comitatu septus, ingenti ordinum omnium frequentia, inter collucentes undique faces, inter latos symphoiacorum modulos, erudita juventute litterariis certante muneribus, primum lapidem in fundamenta jecit.

Gerundæ, in Catalonia, cum Jacobus Agullana, Ecclesiæ Gerundensis Archidiaconus, petiisset ut in collegio, à se suisque fundato Latinæ literæ quamprimum traderentur, voti compos factus est, & apertum lyceum XIV. Kal. Novembr. Quo die lepidum quiddam contigit, quod non mediocriter ad collegii laudem pertinuit. Religiosus vir in eadem civitate Divinarum interpret litterarum, dum eas prædicat oratione meditata, audiente Episcopo, & illustri nobilium eruditorumque confessu, invehens erat acriter in liberales disciplinas, ac profanam, ut vocabat, eruditionem: & in hanc sententiam varia sanctorum Patrum testimonia protulerat. Paucis post horis habuit orationem unus è collegii præceptoribus, pro solenni scholarum primordio. Invitatus Episcopus, comitante procerum eadem & eruditorum corona, venit, atque adeo ille ipse sacrum præco professorque litterarum. Orator noster, quid accidisset ignarus,

13.
Fundationes
collegiorum, ac
domorum anni
1599.

dum suas venditat litteras ac merces, multa commode dixit in laudem doctrinae politioris, & eadem SS. Patrum testimonia, quae contra usitatum in scholis docendi modum, à theologo proximè fuerant allata, explicuit in rem suam, explanavitque sic, ut dedita opera vix quidquam aptius fieri potuisset videretur.

14,
Profani auctores
utrum è
scholis Christianis
ablegandi.

Sanè non nunc primum existerunt qui censerent profanos auctores, ac totam illam, quae mores ethnicorum olet, doctrinam Christianis excludendam scholis esse; in quibus Evangelio, sanctisque Patribus, Christianorum nempe doctoribus, locum dari principem putarent oportere. Verum, ut omittam vix quaquam inter illos Christianos doctores satis idoneum inveniri, à quo perfecta Latinitatis & eloquentiae praecepta, vel exempla, peti possint, quis non videt artem puerorum, nondum altioris capacem scientiae, profanarum litterarum lacte quasi pascendam, donec cibo solidiore vesci possit? Aegrè adducuntur viri ut oratorem de rebus divinis differrentem, ac Patrum sacra monumenta interpretantem audiant: pueri haec eadem sine tædio sedentes & modesti auscultabunt?

Quod si quid periculi metuitur à profanis ethnicorum moribus & scriptis, in quibus non pauca sunt nihilominus à Christianis effatis nequaquam abhorrentia, id videndum est doctori Christiano, ut scriptores nisi probos, aut probe castigatos, repurgatosque juventuti non praelegat. Deinde, ut ex illis ipsis moribus gentium profanarum occasionem caperet virtutis celebrandae, ac vitii suis coloribus depingendi, quod in Tullio, Virgilioque, in Epicteto, Juvenale, Horatio, &c. explicandis quàm promptum ac proclive est? Denique nihil vetat Evangelicam quotidie vocem aliquam, vel depromptam è SS. Patrum libris sententiam, enarrare discipulis, ediscendam proponere, illigare aptè in descriptiones, & hanc teneris auriculis divinae sapientiae frugem inferere. Sic spoliis Idumae, ut sacri vatis utar vocibus, ditescere licet; sic gemmas è spurco vetustatis impiae sterquilinio colligere. Id autem in primis sequuntur ac student, Numinis beneficio, magistri è Societate. Quod cum vulgò sit persuasum, ea plerisque causa est expetendi collegia: nec alia vehementius Petrum Martinium, Jurisconsultum Hispanum eximia pietatis impulit, ut è vita discedens testamentum in gratiam Societatis conderet. Octingentos legabat annui census collegio Caesaraugustano, ad alendos litterarum magistros, modo civitas in ejusdem collegii jus & potestatem transcriberet urbanum quoddam gymnasium. Id si obtineri non posset, priorem augebat summam, ut novum in urbe Aragoniae Osca, patria sua, collegium poneretur. Ex hoc testamento natae lites, & in aliquot annos extractae. Caesaraugustanis oblatam conditionem accipere negantibus, Praepositus Generalis, de Patrum Aragoniae provinciae sententia, collegium Oscae moliri omnino statuit: cui etiam fundando Hieronymus Olivarius, è Societate, haud modicum vestigial de suo assignaverat. Illuc igitur ventum est, & compositis cum civitate rebus, anno postea MDCV. scholae sunt datae. Urgellae quoque in Catalonia, collegium Societatis ab Episcopo Andrea Capilla conditum fuit, ingenti praesidio futurum in ea soli coelique asperitate: sedet enim hoc oppidum ad Pyrenaei radices, & incolarum ingenia non multum ab indole regionis, ut accidit fere, discedunt, eoque magis indigent cultura. Habitatum nunc quidem in subitario domicilio: anno infrequente, novum ac stabile collegii aedificium inchoatum est. Fuerat Andreas Capilla in Societatem adscriptus adolescens, in eaque per annos quindecim stipendia non minori doctrinae, quàm virtutis laude fecerat: institutis tironibus adhibitus, mox collegio Valentiae gubernando, demum tradenda in Romano collegio, cum P. Francisco Toledo, theologiae. Angebat hominem interim scrupulus, quòd votum ineundi Ordinis Carthusiani, priusquam Societatem amplecteretur, edidisset. Itaque faciendum sibi omnino puravit ut facram hanc solitudinem capesseret, ad quam illum indoles sua, & amor poenitentiae invitabat. Latere diu, ac sibi vivere, ut optabat, non licuit. Praecipuis inter Carthusianos muneribus praepositus, dum gravissima cum Philippi II. regis Catholici administris negotia prudenter conficeret, probatus Principi, & ad Urgellensem Episcopatum evehctus est. Tunc vero nihil antiquius habuit, quàm ut collegium in urbe sua compararet. Multa praesulis optimi voluntatem, & consilium moraban-

rabantur: cognitum tamen divinitus est, moras omnes perruptum iri deprecatione duorum sanctorum Hermengolis, & Justi, olim Episcoporum Urgellensium. Prædictionem eventus comprobavit, ac potissimum insignis fructus, in ipsam civitatem ac regionem totam latissimè derivatus.

Instituta sunt eodem anno collegia Frexenatense, & Guadianum, seu Guadixense. Frexenala oppidum Beticæ est: obnoxium Paci-Augustæ, quod sacra spectat; Hispalensis vero ditionis, quoad jura civilia. Collegii fundator Alfonso à Pace testamento caverat ne qua interponeretur mora, quin statim collegium aperiretur. Quare approbantibus & instantibus tum regio apud Hispalenses præfecto, tum Episcopo Pacis-Augustæ, brevi nova familia coaluit. Guadicia in regno Granatensi jacet: antiqua civitas, & Episcopi sedes. Joannes Hortega de Grisalva, Canonicus Guadiciensis, jamdudum ardebat cupiditate collegii, cujus opem non civitati tantum necessariam existimabat, verum etiam regioni universæ. Igitur ædes suas, bibliothecam, & suppellectilem Patribus obtulit: vectigal suppeditavit Anna Felix Gusmania, Marchionissa Camerascæ: adjecit nonnihil Eleonora de Toledo, Sancti Stephani Comitissa: auctoritatem & curas contulit Joannes Fonseca, Guadiciensis antistes, & regii Consilii approbationem impetravit. Idem nonnullorum operi pio vehementer oblustantium impetus fregit, quorum unus cum juratus palam edixisset certam civitati perniciem à collegio imminere, prope in ipso vestigio paralyti constrictus expiravit: alter, cum maxime obstaret, lite molesta & improvisa irretitus, in vincula datus est: tertius, qui rem disturbare Madriti præ ceteris conabatur, morbo repentino correptus celerrimè concidit. Sublatis igitur obicibus inita fuit ædium Hortegæ possessio; & sedes temporaria, quæ triennium Guadicii steterat, in perenne domicilium conversa. Protinus in circumjectam regionem sex emissi sacerdotes rudem populum, & veterino velut excitatum, ad pœnitentiam salutisque sempiternæ curam vocaverunt, Deo tam benignè felicibus primordiis aspirante, ut Singilia, sive Anticaria (oppidum est in eodem Granatensi regno) ejusdem boni compos fieri properaverit, accitis Patribus per Franciscum Padillam, & Dominicum Leziun: hunc Anticariensem Canonicum; illum civem Anticariensem, & Canonicum Ecclesiæ Malacitanæ. Quos inter fuit hæc amica concertatio uter alterum in fundando collegio & ornando superaret. Censum, & ædes amplas, collegio Phari ponendo, in Algarbia, legaverat moriens Jacobus Lopus, Pharenensis Ecclesiæ Decanus: quia tamen vectigal collegio par non erat, satius visum est Professorum domum ordiri, hortante præsertim antistite Ferdinando Martino Mascarenia, qui ad instruendam necessaria suppellectile domum ac templum multa donavit, deque urbis templo primario pretiosa sanctorum corporum pignora in nostrum transfudit. Auctor etiam domus conficiendæ orandaque præcipuus & adjutor fuit Episcopi frater, Nunnus Mascarenia, è nostra Societate. Accessione postmodum ad vectigal facta, compositum ad fundatoris mentem collegium est, cujus primordia civitas anno MDXCIX. publicavit celebravit.

Exundans anno MDXCVIII. præter modum Tiberis magnam Urbis partem labefactaverat. Natus in Apennini jugis accipit vectigales duorum & quadraginta qua fluviorum, qua torrentium, aquas: iis alitur, & ita sæpe crescit, ut magnitudine labore sua, & agris oppidisque vastitatem afferat. Tricies sexies post Romam conditam usque ad annum MDXCIX. supra notas late ripas elatus traditur. Æstas anni MDXCVIII. humida; autumnus imbribus perpetuis diffluens auctiorem impotentemque reddiderant. Itaque X. Kalendas Januar. sub noctem crevit majorem in modum, & insequenti die loca Urbis humiliora merisit. IX. Kal. Jan. vergente in occasum sole, altius exulit se se, fluctusque præcipites impune per vias voluens, ingentem attonitæ civitati metum attulit, ac plus damni dedisset, nisi tempestitiva Pontificis cura naturam arte & providentia emendasset. Magna nihilominus multarum rerum & animalium strages edita; nonnulla etiam hominum, quos proruptæ effractis ostiis in domos aquæ: vel ipsæ domus everse, oppresserunt. Sacra nascenti Christo lux tota inter istos metus, ac diræ famis

mis periculum, fluxit. Famem Pontifex depulit, immisis per totam urbem cum annona equis & naviculis; fluminis infensi æstum Divina bonitas quinto post die, reductis pristinum in locum aquis, compescuit. Relabens Tiberis & suo se rediens alveo vehementer debilitaverat Professorum domum pervetustam, ac sua sponte brevi ruituram. Satius est visum novam condere, quam fulcire atque instaurare vitiosam. Nec desuere viri locupletes ac pii, qui se collaturos impensam ad ædificandum necessariam pollicerentur. Sed Patres neminem præferendum Odoardo Cardinali Farnesio censuerunt, cujus propatruus Alexander Cardinalis Farnesius templum ejusdem Professorum domus extruxerat; ut ædificii pars utraque, ac domus tota Serenissimæ Farnesiorum familiæ & liberalitati deberetur. Erat Parmæ tunc Odoardus. Ad eum ejusque fratrem Ducem Rainuntium litteras dedit Aquaviva, quibus perbenignè responsum est, Cardinalem id operis sibi omnino deposcere, ac propediem Romæ adfuturum, ut de re tota statueret. Adfuit, ac descriptione domus, formaque constituta, primum lapidem in fundamenta rite misit; hæ voces in saxo inscriptæ legebantur: *Odoardus Farnesius S. R. E. Diaconus Cardinalis Sancti Eustachii, ut Alexandri Farnesii Cardinalis Vicecancellarii, propatruui sui, reliquias prosequatur, primum hunc lapidem solenni ritu consecratum, ad erigendam suo sumptu domum Societati JESU, in fundamenta conjecit, pridie Nonas Iulii anno MDLXXXIX.*

15.
Collegia, & domus anno 1600. instituta.

Sixtus V. Cretensium rogatu decreverat, ut tria Societatis collegia fundarentur in tribus præcipuis Cretæ urbibus, attributo in vestigialia collegiorum, censu, qui ex decreto Concilii Tridentini Seminariis clericorum quotannis persolvi è beneficiis Ecclesiasticis consuevit. Pontificis voluntatem amplexi Reipub. Venetæ proceres Patribus ex Italia delectis quacumque opus erant ultro assignarunt. Non minori lætitia sunt excepti, quam erant expetiti. Attributa illis ædes sacra D. Mariæ, quam Formosam incolæ nuncupant, cum vicina domo Constantinopolitani olim Patriarchæ. Refrixit postea civium ardor, tum propter sævientem toto fermè quinquennio pestilentiam, tum ob mortem antiphitis, qui assignatos nobis à Pontifice redditus summa diligentia procurabat. Accessit etiam alienatio nonnullorum è clero, qui decimam è suorum beneficiorum fructibus partem gravatè admodum collegio pensabant. Admonitus Aquaviva obtinuit à Clemente VIII. ut hoc nostro jure fructus istos exigendi cederemus, & interim alia quædam indagaretur via sustentandi civium liberalitate collegii. Cum id è sententia non succederet, visum fuit satis esse causæ cur discederemus, & annuente Pontifice, de professione cogitatum. Enimvero suum hoc dedecus interpretati Cretenses præfectum insulæ frequentes adeunt: obtestantur ne tantam sibi ac suis liberis, cum ignominia, perniciem inferri patiantur. Datum iri operam ne quid in posterum Societati desit. Igitur publico decreto Socii assignatum fuit in primaria civitate, quæ idem cum tota insula nomen obtinet, templum & nosocomium vetus, cui Divi Antonii nomen, cum adjunctis ei vestigialibus: decretum diplomate Pontificio confirmatum, & omnia pristinum, ac meliorem etiam in statum sunt restituta. Tropæa, sive Tropia, civitas est Calabriae ulterioris, ad oram Tyrreni maris, prope promontorium Vaticanum: clara propter Episcopi sedem, populi frequentiam, situs amœnitatem, & feracitatem soli. Huc præter omnium spem, Divinæ Providentiæ peculiari nutu, vocata Societas videtur. Hieronymus Taulus, inter Tropienses genere opibusque præstans, cum domesticæ negotii causa Neapolim peteret, testamentum condidit, nescio quid functum, nec temere, prælagiens: nam à maritimis prædonibus captus, & in Africam deportatus, ibi cessit è vita. Ex ejus filiis duo superstites Claudius & Marcellus, ampla gaudebant hereditate. Sed (quæ magnarum divitiarum misera fors est) invidia multorum & odio flagrabant; nec erant ea, quæ decet fratres, amicitia inter se conjuncti. Marcellus, accepto in rixa vulnere, moriturus, bonorum suorum usum & fructum fratri, quem ab uxore nullam habere prolem nec sperare cernebat, reliquit eæ lege, ut illo mortuo eadem bona in collegium Societatis urbi donandum impenderentur. Imò rogavit fratrem, ut si nullos è conjugè susciperet liberos, suas eidem operi pio fortunas addiceret, ut è colla-

ra utriusque pecunia justum collegii vestigal conficeretur. Annuit frater, & condidit testamentum, quo Societatem heredem ex affe faciebat. Verum, ut est magna, sive in dimittendis opibus; sive in dando, præsertim alienis, beneficio difficultas, mutavit mentem, ac sororis virum heredem instituire decrevit. Ecce autem, dum apud tabellionem transigere negotium parat, sanguinis copia, è pectore in fauces subito prorumpente opprimitur. Testamenti, quod condiderat in gratiam Societatis, & cujus mutandi spatium non habuerat, curatores adnuere Præpositum Generalem, à quo missi aliquot è nostris juventutem bonis artibus ac moribus formandam acceperunt. Beneventani jam fruebantur domo Professorum*, collegium ejus loco maluerunt, suadente atque instante Archiepiscopo, qui locupletem bibliothecam ultro tradiderat, addebatque nonnihil ad certum vestigal constituendum. Ratam præsulis ac civium voluntatem Clemens habuit, & beneficio Ecclesiastico censum auxit.

Designatum fuerat collegium Catacense jam inde ab anno MDLXIV. Constitutum anno MDLXIX. auctum MDLXXVII. stabilitum est MDC. liberalitate Julia Zaccoviæ, tum vero ejus filiarum Isabellæ & Cornelie Riccarum. Illa rem familiarem, quam à Cælio Ricca patre satis amplam acceperant, cum auxissent industria & frugalitate sua, cumque Isabella natu major cœlibem amplexa vitam esset, ambæ in eam mentem, cum matre pridem vidua, convenerunt, ut è suis prædiis collegio tantum impertirentur, quantum ad legitimam ejus dotem conficiendam satis esset. Ea lectissima familiæ pietas multorum civium liberalitatem excitavit: qui publicis rationibus consultum putaverunt, dum consuluere nostris. Initium quoque factum Calata-Nixetano collegio. Est Calata-Nixeta, vulgo Calatanisseta, oppidum Siciliæ in Valle Mazaræ, & limite Vallis Netinæ. Ibi statio posita jam fuerat anno MDLXXXIX. Nunc demum collegii fundatrix Bivonæ Dux, Ludovica de Luna; ejusque nurus, Paternionis princeps, Maria Aragonia Zerda, manum ultimam benè cœptis addiderunt. Apertum Cremonæ, non sine pompa & apparatu, litterarium stadium fuit. Intecta aulaeis, & vestita carminibus arca collegii pulcherrimum præbebat spectaculum. Scena erudita certas in partes distributa erat; quarum prima explicabat urbis laudes, quæ insignem in Gallia Cisalpina locum obtinet: altera pars debitis laudibus eos ornabat, qui de collegio meriti erant quam optimè: inter quos eminebat Cæsar Specianus, Episcopus Cremonensis, qui non contentus cogitationes curaque suas ad collegium formandam contulisse, dum viveret; eidem supremis tabulis rem suam deinde transcripserat universam. Postrema pars eruditi apparatus complectebatur præconia litterarum, & collegiorum utilitates. Deerat sacra aedes, pars novi collegii potior: ea ne diutius deesset ab Episcopo provisum: nam, annuente Summo Pontifice, templum Sancti Michaelis, sive omnium Sanctorum, translata in proximas parœcias animarum curâ, collegio attribuit; Nicolao Amidamo, Cathedralis Ecclesiæ nobili Canonico, qui ejus ædis & Ecclesiastici beneficii fiduciaria possessione fruebatur, jure suo perlibenter cedente, imo sacram omnem suppellectilem ultro in usum collegii relinquente.

Coloniensis Archiepiscopus Societatem revocavit Aquisgranum, unde cedere coacta fuerat anno MDLXXXIX. * Scholæ numero discipulorum & ingeniis florescentes studia bonorum acuerunt. Nec parum valuit ad ea inflammanda commendatio Summi Pontificis; itemque litteræ Alberti Principis, Belgium nuper ingressi; quibus Aquisgranensi senatui ob receptum collegium enixè gratulabatur. Quamvis nondum esset restituta Societas in Gallia urbes, unde pulsa fuerat anno MDXCIV. plurimi tamen, illius innocentia probe conscii, certabant ut in eam cooptarentur; nec tantum adolescentes, sed etiam viri genere doctrinaque conspicui. Hos inter Erricus à Lotharingia, Episcopus & Comes Virodunensis, Romanam proficisci non dubitaverat, ut Episcopatu cum bona Summi Pontificis venia deposito, pias dulcesque latebras inter nos quæreret. Quo de argumento cum scripisset ad Bellarminum, rescripsit Cardinalis * laudare se pietatem, consilium non probare. Idem Pontifici Maximo, & Præposito Generali Societatis videbatur. Quibus auscultandum ratus præsul sapiens, dolorem suum consolatus est edificanda

* *Supra n. 11.*

* *Lib. IX. Par. V. n. 112.*

* *Ejus litteras vide Lib. XXV.*

ficanda Probationis domo, ut multis aditum in Societatem aperiret, quem sibi videbat interclusum. Assensit illi vehementer Carolus III. Lotharingæ Dux, cum ut gratificaretur Societati, quam animo verè paterno complectebatur; tum ut morum integritatem ac Fidei novo munimento fulciret. Clemens vero Pontifex, concessis prolixè quæcumque ab ipso petebantur ad stabiliendam hanc domum, laudes optimi præfulis in amplissimo diplomate cum Societatis commendatione non vulgari conjunxit. Destinata tirocinio sedes fuit in oppido Lotharingæ peramœno, quod vulgo S. Nicolai Fanum vocant, non procul Nanceio. Dum paratur domicilium, Cardinalis Lotharingus tirones accepit in abbatiam Cœlestinorum, cujus fiduciaria possessione gaudebat. Paratam denique domum inierunt sexto Idus Februarii anno MDC. Biennio post Nanceium deducti sunt, ut infra dicitur. Blikerenses, quorum civitas cultissima Occitania inferiori accensetur, primariis civibus ad P. Alexandrum Georgium Provinciam missis, publica de collegio quamprimum excitando vota illi detulerant anno MDXCIX. Respondit, ita se quod postulabatur concessurum, si Regi Christianissimo & Societatis Præposito videretur: simul P. Joanni Gonterio negotium dedit ut cum civibus ageret, Gonterius assensum Regis & Præpositi Generalis obtinendum minimè dubitans, & studio civitatis utendum ratus, negotium citius opinione confecit. XV. Kalendas Novembres MDXCIX. professores litterarium ludum aperuerunt. Ecce autem querelæ graves perferuntur ad Regem, Societatis homines, exulare iustos, nova moliri domicilia; imò in vetera, unde pulsi erant, remigrare. Id postremum de collegio Divionensi jaçtabant: calumniandi occasio hæc erat. P. Bartholomæus Jacquiniotius, Divionensis, gravi morbo afflictatus, in patriam de sententia medicorum, venerat. Natali cœlo paulum recreatus, quodcumque à morbo dabatur otii, cœpit, pro more Societatis, in civium suorum salutem conferre: cumque identidem ad populum verba faceret, favente universa civitate, rogatus à senatu est, ut collegii deserti ac vacui procurationem, & facta teçta rescinda susciperet, cui negotio certos homines præficere senatus antea solebat. Hanc in se curam recepit Jacquiniotius, approbante Provinciali. At postquam hæc fecit Romæ Claudius Aquaviva, qui nihil verebatur magis, quàm ne quid in Gallia nostri committerent, quod Regi displiceret, quodque malevolis vel minimam calumniandi ansam daret, rescidit penitus atque abrogavit quod à Patre Gonterio cum Blikerensibus transactum & constitutum fuerat; iussitque ut Jacquiniotius, cum iis qui rem collegii familiarem procurabant, Divione recederet. Præterea, cum audivisset aliquos è nostris Lemovici confedisse, præcepit ut confestim inde absterent, si Rex id velle ostenderet. Hæc Præpositi Generalis iussa Henricus majorem in modum probavit, neque tantum de istis collegiis dissimulavit, verum etiam perhonorificas ad eundem Claudium Aquavivam litteras dedit in hæc verba: *Quod è quibusdam, inquit, urbis regni mei nonnullos ex Ordine tuo, qui ibi meo injussu confederant, revocaveris, bene & ex officio fecisti; declarastique prudentiam tuam, cum diceres nolle te ut quidquam ejusmodi susciperetur, abnuente me. Eam ob rem per has ego litteras agere tibi gratias volui, simulque denunciare, tuum erga res meas studium mihi gratissimum accidisse, ne Ordinis tui hominibus inutile futurum: ac si locus incidere referenda gratia, nequam à me prætermisum iri, quemadmodum Orator in Urbe meus tibi significabit. Ad extremum, Domine Generalis Præposte, Deum precor ut salvum te & incolam præbet. Datum San-Germam VIII. Id. Novemb. MDXCIX.* Intetum non vetante Rege, nec Præposito Generali ulterius urgente, Blikerenses ac Lemovicenses integra collegia, imò etiam novis aucta professoribus, tenuerunt.

Petrus à S. Angelo, civis Bilbilitanus, juris utriusque scientia clarus, Societatem moriens heredem ex asse instituit. Beneficio, licet insigni, fuit insignior beneficii modus. Quippe celatos de sua liberalitate Pares voluit: quo facto magna ipsos liberavit invidia. Quamvis enim prolem haberet nullam, affinis & propinquis non carebat. His ut satisfaceret, eruditam testamentum lucubrationem addidit, qua docebat fas esse viris prole destitutis, in fortunas non acceptas à majoribus, sed industria partas, alienos heredes adsciscere, prætermisissis affinis.

16.
Jacta collegio-
rum fundamen-
ta anno 1601.

bus. Ceterum Societatem omni penitus onere solutam, & immunem esse, testamento jussit: quo majus illi onus profecto imposuit grati ac memoris animi, quod ipsa libentissimè subiit: ac præter sacrificiorum precumque suffragia, quæ Præpositus Generalis in singula capita, per universum Ordinem indixit, Bilbilitanum collegium splendidissimis exequiis optimo parenti justa fecit. Non expectavit extremum vitæ fugientis diem nobilis matrona, Elisabetha Spatafora, ut Panormitano tirocinio, in quo provinciæ spes alebantur, donaret fundum, annui redditus non contemnendi. Observaverat haud semel tirones nostros, cum incederent per urbem demisso in terram vultu, compositis manibus, toto corpore modestiam spirante. Maternum in eos animum induit, & iis alendis bene collocatam partem opum duxit. Potuit ejus quoque munificentiam provocare Sociorum nonnullus labor, tunc utiliter Panormi positus. Invaluerat illic ea consuetudo ut, pro ministrandis populo rebus sacris, præsens pecunia numeraretur: quæ tamen cessabat in alimenta ministrantium, nihilominus fœdam habebat speciem, ista sacrorum veluti nundinatio, & plebem egenam ab usurpandis sacramentis, representandi pretii difficultate, avocabat. Hujus consuetudinis cum magis omnes vitium reprehenderent, quàm quisquam emendationem aggrediretur; exstitit è collegio Societatis sacerdos, qui principibus civitatis, apud quos gratia & auctoritate propter virtutem ac prudentiam valebat, ostendit unicam huic malo medendi viam esse, si certa pecunia publicè statueretur, unde ministris Evangelii stipendium penderetur. Placuit consilium; assignata ex arario summa hunc in usum senatusconsulto fuit, laudante in primis Summo Pontifice, ac senatus decretum confirmante. Tanta res, tam feliciter constituta, fecit animos ad aliam emendandam. Colligebatur in eadem piâ pariter & opulenta civitate vis pecuniæ magna, captivis Christianis, qui apud Afros Mahometanos miserrimam servitutem serviunt, redimendis: verum dispensationem hujus pecuniæ non carere avaritiæ sordibus multorum erat querela. Audita sunt quæ sapienter idem sacerdos de hoc argumento disseruit, & leges ad eam curationem rectè casteque administrandam, conscriptæ. Dum Panormitana Probationis domus augetur & ornatur, Avenionensem alterius matronæ, Ludovicæ de Ancezuna, liberalitas, ut anno MDLXXXIX. * promiserat, extruxit. Dejectus in ædis sacræ fundamenta primus lapis est à Pontificio prolegato, Carolo de Comitibus, VII. Kal. Maias MDCL.

Qua parte montes Pyrenæi demittunt se versus ortum & Balearicum mare, jacet inter duo illorum quasi brachia Comitatus Ruscinonensis. Ejus caput Perpinianum est. Huc aliquot Socii ex Aragonia profecti, Onufrii Rearti, Episcopi Elnensis vocati, modicam sedem habuerunt anno MDCII. quæ ejusdem Episcopi opera & beneficiis aucta, demum anno MDCXX. in collegium crevit.

Albenacum identidem adire solita Societas *, urbem Occitanicæ non ignobilem, in ea paulatim collegium adepta est. Marchio Malbecus Florentiam cum plerisque nobilibus Gallis anno MDC. profectus erat, occasione data nuptiarum Regis cum Maria Medicæa. Dum ejus comites in Etruria morantur, ipse Romam usque procurrens, postulavit à Præposito Generali Societatis aliquot Patres, qui clades ab hæreticis illatas urbi suæ sarcirent. Annuit libenter ejus votis Claudius Aquaviva, & lætam Sociorum manum anno sequente Albenacum misit. Accessionem non contemnendam ædibus, vicina domo data, Cardinalis Joyseus adjunxit. Igitur aucti Socii, dati professores anno MDCIII. Nihilominus mansit Albenaci statio quasi temporaria usque ad annum MDCXXXII. quo nomen collegii & stabilem formam accepit à Præposito Generali. Ultima collegio manus accessit anno MDCXXXVIII. liberalitate Mariæ Comitissæ Monlauriæ, Marchionis Malbeci filiæ, quæ post obitum patris nupta Marescallo Ornano, beneficium à parente inchoatum, à marito valde ornatum, cumulavit amplificatis scholis & vectigalibus. Quamobrem fundati collegii titulum ac jura sibi, & suis in Albenacensi Baronia successoribus peperit.

Ad annum MDCII. pertinent collegiorum Papiensis, & Orsonensis incunabula. Papia, sive Ticinum, civitas Mediolanensis Ducatus, olim regia Longobardorum fuit. Illuc anno superiori exeunte venerat Sociorum manipulus, Episcopi

* An. 1589. n. 148.

17.
Incunabula
collegiorum
anni 1602.

* Supra. n. 5.

&

& civitatis accitu. Hos inter eminebat dicendi facundiâ Carolus Regius, orator acer ac vehemens, qui studia civium, collegii cupiditate jam flagrantia, majorem in modum accendit. Bartholomæus Turrianus, Sancti Joannis Præpositus domum idoneam dedit, ac facem ceteris prætulit, vir annis & meritis spectandus, constantique in Societatem nostram fide. Templum obtulit civium sodalitas, cui à caritate nomen est: cives reliqui spem rei firmandæ in posterum, augendæque non vanam præbuerunt. Chelidonius Arpea, Canonicus Hispalensis, inspectata pariter probitate, & in Societatem benevolentia, suas fortunas Orsonensi collegio, cum nobis commodum videretur, exstruendo sponte donavit, ne postulato quidem fundatoris nomine, sola beneficii & piæ liberalitatis gloria contentus. Orsona, sive Ursao, inter Hispaniæ Boeticæ urbes recensetur.

Mons-Sanctus, oppidum Piceni, non longè abest Laureto. Inde Socii discesserant anno MDXCVIII. cum nulla collegii stabilendi spes affulgeret. Reverti sunt MDCII. civitate communibus studiis revocante. Missi anno superiori à Summo Pontifice Visitatores Apostolici in insulam Corsicam, præter cetera, quæ indigebant remedio, animadverterant indigenam maxima rerum quæ ad Christianam disciplinam doctrinamque pertinent, ignorantie laborare. Huic malo nullum præsentius remedium inventum est, quàm collegium Societatis, cui etiam fundando cognoverunt relictum testamento subsidii nonnihil ante annos aliquot à Thoma Raggio, Patricio Genuensi, ea lege ut tandiu crescere, multiplicato fructu, sineretur, donec justum collegii vectigal efficeret. Id cum Pontifici retulissent, Clemens negotium Aquavivæ dedit, ut aliquos è nostris in Corsicam destinaret. Bini sacerdotes totam perlustrarunt, tanta omnium approbatione, ut duodecim insulæ Syndici, seu rectores & administri, dederint operam ne quid ad collegii fundationem desideraretur. Aquaviva novum agmen Sociorum submisit, qui sedem collegii & cunas in urbe Bastia, insulæ primaria, collocarent. Illorum adventum sibi pergratum accidisse Bastienses, tum agendis prolixè gratiis, tum augendo censu, testati sunt. Civium beneficentiæ magnus anno sequenti cumulus accessit auctore Marco Antonio Gaberino, patricio Genuensi.

Sendomiria, civitas Poloniæ, ad Vistula ripam sedet, concursu nobilitatis & stato ad jus dicendum conventu celebris. Arcem habet munitissimam, cui fuerat præfectus à Sigismundo Rege Hieronymus Gostornskius Lezenicius, Palatinus Posnaniensis, religionis catholicæ propagandæ tanto studiosior, quanto felicior & verius ad eam nuper ab hæresi se retulerat. Dum vias omnes circumspicit, quibus vicinam nobilitatem, variis circumfusam erroribus ad catholicæ veritatis lucem aspiciendam adduceret; arcessendos putavit Societatis homines, quorum utilem ad depellendas hæreseos tenebras conatum in majore Poloniæ perspexerat: eosque Sendomiriæ collocavit. At nihil propius est factum, quàm ut stationem Altenensem, Calvinistarum dolo perderemus. Comes Altenensis, licet hæresi mancipatus, Romanis tamen sacris, & Societati favebat, ne mercatores catholicos abstereret. Illi postulabant ab eo jamdudum ut Romanos ritus exerceri libere suo in oppido pateretur. Hoc ipsum per litteras Cæsar; Electores Colonienfis, Trevirensis, & Moguntinus; ipse Daniae Rex, flagitabant. Exorari non poterat, Calvinistis obnitentibus. Inter spem ac metum anxius eum diu æstuasset, eo demum pacto credit utrisque satisfieri posse, si catholicam religionem toleraret, Societatem vero proscriberet. Prædic ejus diei, quo promulgandum hoc decretum erat, diris per noctem terroribus & insomniis ita perturbatus est, ut evigilans eam in statione pristina confirmaverit, facta Sociis potestate administrandi solita munia liberrimè. Nec satis: mercatoribus dedit veniam coemendæ, ubi vellent, aræ, in qua domus nobis idonea, cum templo ipsi opportuno & in perpetuum utendo, poneretur.

Idem annus MDCII. tres domos Probationis, unam Professorum peperit. Villavitiosæ in Lusitania sedem Professis dedit Theodosius Dux Brigantinus: Madriti domicilium tironibus dotavit Anna Felix Gusmania, Marchionissa Camaracæ. Duo jam collegia fundaverat Cazorlanum & Guadixense. Erat in Lotharingia, ut supra meminimus, tirocinium in oppido Sancti Nicolai. Nanceium
immi-

immigravit, ope ac beneficio Antonii Lenoncurtii, abbatis Bellopratensis, non pietate minus, quam nobilitate clari. Ædes ille construxerat Nanceii amœnissimo in loco, & ab urbano strepitu reducto, in quas animi causa interdum secedebat. Cum verò cerneret novitios in oppido S. Nicolai parum commodè collocatos, putavit nihil se facturum Deo gratius, ac Societati cui plurimum favebat, quàm si domum hanc suam tironibus nostris donaret. Sacram ædem addidit pulcherrimam, quam illustrium ex eadem nobilissima Principum Lotharingorum gente feminarum liberalitas exornavit, & procerum Lotharingiæ pietas frequentare gaudet. In Romana provincia, Probationis tertii anni domus Setiæ constituta fuit, cum hæcenus sacerdotes, qui postremo illo experimento defungebantur, eodem atque primi tirones, magistro ac tecto in Quirinali monte uterentur. Vifa est Setia propter viciniam Urbis & cæli salubritatem ad sacrum secessum peridonea.

Diu, & magna mole pugnatum est, in ponendo Leopoli collegio, nec nisi post annos complures, quàm Societas ibi domicilium habere cœperat, illius nunc demum obtinendi spes affulsit. Hæc Russiæ Rubræ, seu Parvæ, primaria civitas, & Archiepiscopi sedes, mercatorum Europæ, atque Asiæ, concursu celebratur. Differendi tandiu collegii causa fuit ipsius urbis ambitus, pro tanta convenarum frequentia non magnus, in quo spatium collegio vix patebat; deinde metus, ne Cracoviensi academiæ Leopolitana officeret. Accedebant tumultus bellici, quibus ea civitas sæpe circumsonat, inter quos pacificis artibus & Musis parum putabatur esse loci posse. At nihil vehementius obstabat, quàm Judæorum validissimi ad arcendam Societatem conatus. Præter innatum Christianæ religionis odium, peculiaris ipsos ratio commovebat. E suburbio furtim in civitatem progressi, vacua quadam spatia, in ditione Regis arbitrioque posita, præter jus & fas occupaverant. Rex admonitus ea censuit à malæ fidei possessoribus repetenda, & collegio assignanda. Delecti, qui negotium ejus nomine urgerent, viri è senatu & Polona nobilitate primarii quinque. Perculsi hoc nuncio Judæi nihil intentatum, quo rem disjicerent, reliquerunt: nec potentissima, qua plurimum dicuntur uti, defuit machina, aurum. Eo primum aggressi delectos illos, & urgendo negotio prepositos, cum ab iis exorare nihil potuissent, ceteram nobilitatem, quæ tunc ad solennia judicia Leopolim convenerat, minus duram sunt experti. Senatores aliqui magni nominis subito intercedunt; Regem ipsum per litteras & certos homines sollicitant, metum & pericula causæ nostræ patronis intentant; nemo ut repertus sit in tanta causidicorum copia, qui prece vel pretio ad perorandum pro Societate adduci potuerit. Ubi rem hac via belle procedere Judæi senserunt, eodem imbre aureo plebem infimam aspergunt; admiscunt criminationes; publicæ rei detrimenta gravissima denunciant. His stimulis agitata plebs furit, vociferatur palam pessumdari commercium, violari jura civitatis, incolas immerentes sedibus suis exturbari. Pergunt nihilo segnus regii causæ cognitores, agunt lege in Judæos, diemque liti disceptandæ præfiniunt. Sed cum in jus ventum est, silentibus patronis, quorum fauces argentea illa præcluserat angina, coactus est unus è regii cognitoribus nescio quem è sua familia producere, virum haudquaquam in foro versatum, & dicendi satis rudem. Ille tamen, exposita causa, prolatis legibus, declarata Regis voluntate, perfcit ut secundum jus & Societatem sententia diceretur. Reclamavit nobilitas Judæicis delinita muneribus, & causam ad comitia rejici postulavit. Hoc vero denegatum à judicibus, & ad regium tribunal Cracoviam lis evocata, more majorum. Ibi, post multas ambages artesque ab adversariis adhibitæ, arbitri nominati, qui venirent in rem præsentem, & exploratam cognitamque referrent Regi.

Dum paratur Leopoli collegium; restitutum nobis fuit Derpati, in Livonia; vel collegii potius sedes & area reddita: nam præter templum, quod ab hæreticis profanos ad usum fuerat usurpatum, in ædibus restabat nihil non confectum aut exustum*. Recepta civitas est post biennium, quàm à Suecis fuerat expugnata. Cum vero illorum exercitus intra mœnia conclusus, gravi per hyemem lue vexatus fuisset, plerique in collegium confluerant, ubi inedia morbo-

18.
Collegium Leopoli-
tanium, &
alia quædam
anni 1603.

* Lib. XIV. p. 41.

que confecti & insepulti magnam partem reperti sunt, nonnulli adhuc spirantes ac diram famem vicinis cadaveribus pascentes. Recruduit fetore ac sanie provocata pestis, amplamque nostris hominibus caritatis materiam suppeditavit. Unus tamen duntaxat pestifero incendio absumptus est, domesticus adjutor, de collegio meritis quam optimè annis XX. per quos in re familiari procuranda diligentiam industriamque pari pietate ac probitate conjunxerat.

* Vide Lib. XII.

19.
Collegia per
annum 1604.
nata.

Post superatam, qua opponebatur à senatu Parisiensi, restituendæ Societatis moram*, reddita sunt anno MDCIV, sua urbibus collegia. Scholas Rotomagenses, quo die primum rursus patuerunt, mille auditores implere, vectigalia per temporum iniquitatem accisa partim supplevit Rex, partim civium illustrissimorum munificentia certatim adjecit. Posita fuit in eadem urbe domus secundæ Probationis. Præcipuam ejus fundatæ laudem habet Elisabetha Moucella, Albinii domina, cujus impensis conditum adificium habitari cœptum est anno MDCV. exeunte. Capit ea domus exercetque sacerdotes Societatis, qui studiis theologicis ac docendi per aliquot annos munere perfuncti, ultimam probationem, seu tirocinii annum tertium, obeunt. Reddita pariter pridie Kal. Martias sua Billomenfis & Bituricensibus collegia, peculiari decreto Regis. At facultas ab eodem est data excitandorum de integro collegiorum Rhedonenfis, Fontenacensis, Ambianensis, Metensis, Viennensis, & Trecentis. Restituta etiam Parisiis Professorum domus: accessit regium è fisco munus, ad sartatecta rescindenda. Lugdunum reventa Societas est humeris, ut ita dicam, nobilissimorum civium, eoque profecit discessus poster, ut & ampliore ornatoremque domum, & perspectiorem civitatis clarissimæ benevolentiam haberemus. Gratiâ oratione publica rhetor egit, ac scholis recludendis initium fecit VIII. Idus Martii.

Parma, Italia civitas egregia, Seminarii nobilium curam Societati demandavit. Proposita per P. Virgilium Ceparium condiciones nomine Præpositi Generalis, & à Duce Parmensi sunt acceptæ. Conditum similiter est Brixia nobilibus pueris alendis & instituendis Seminarium, Impositus rector è Societate: additi morum & litterarum magistri; rei familiaris cura optimatibus relicta.

Eadem tempestate, in Lithuania tirones Polocio migrarunt Vilnam. Elvense collegium in Lufitania fundavit paulo ante mortem Dionysius de Britto: constantis in Societatem benevolentia pignus nunquam intermoriturum.

Hagenoa urbs Germaniæ, in Alsatia inferiori, incolarum multitudine commercioque dives, floruerat olim studio catholice religionis; sed hanc infecerat hæreseos veneno Schmidelinus, Concordistarum Lutheranorum auctor, quibus id nominis ideò datum, quia Calvinum & Lutherum conciliare nituntur. Illo anno MDLXVI. Tubinga evocatus Hagenoam, pertraxit suas in partes senatum, cum aliquot proceribus. Nihilominus civium pars melior in avita manserat Fide, eosque Societas, è collegio Molseimensi Hagenoam identidem procurrens, in præsa religione confirmabat. Hoc demum anno impetrarunt ut Hagenoam Sociorum colonia deduceretur, futuri collegii spes. Eadem spes ostendebatur Cassovia (est urbs amplissima Hungariæ superioris.) Acciti per Matthiam Archiducem concionatores è Societate, cum litterarum professoribus, florentissimam civitatem ita commoverant, ut mendacii ministros celaret pudor, tegerent latebræ. Negotium feliciter inceptum hostis humani generis disturbavit, satellitus usus prætoris urbano, qui procerum, præsertim insana faventium novitati, domos concursans, rogare singulos institit, ut resurgentem antistitis Romani tyrannidem (sic loquuntur isti) compescerent, & oppressam Cassovia libertatem, violata jura, ereptas aras assererent. Nam Cæsar primarium ab iis templum receperat, quod ab annis quinquaginta conspirabant. His incitati stimulis movent seditionem in castris primum, ubi Barbianus Belgioisa, Imperatoris per superiorem Hungariam legatus, exercitum habebat; ac parum abfuit quin à furentibus mactaretur. Ipsum ægrè ex eorum manibus cum parte copiarum elapsum, & Cassoviam profugientem oppidani excludunt mœnibus, portas occupant, ac palam à Cæsare deficiunt. Nescit modum popularis furor, præsertim ubi causam religionis agi putat. Excusso legitimi domini jugo, divinum brevi perfr-

perfringere. Consilia de nece catholicorum agitant, eorum aedes lapidibus, ac nostras præcipue, petunt. Cedendum fuit: horæ vix duæ Sociis, ut raptim aliquid convasarent, concessæ. Discesserunt: prætorem tamen contestantes, se vi adactos migrare, ac Cæsaris ultionem, imo Numinis, fidenter interminati. Egredios trepidè globus militum invadit, sub noctem. Curram, in quem librorum & sacra suppellectilis nonnihil congestum fuerat, diripiunt: Patres fuga elapsos vestigant. Unus conjecerat se in dumetum, hostibus persequentibus ac prementibus vestigia, orabatque Deum supplex ut eos cæcitate percuteret. Nec dubie exoravit. Illi quippe dumum undique patentem circumeuntes, tanquam objectis propugnaculis recesserunt. Sacerdos divino beneficio servatus vicinam oppidum subit, quo se reliqui Patres receperant. Solus ibi catholicus erat, ac fidelis Cæsari magistratus. Ad eum divertunt, Poloniamque inter sexcenta discrimina, Deo protegente, ingressi, Cracoviam tertio Nonas Novemb. MDCIV. attigere. Nec divinam in gravi periculo tutelam collegium Paderbornense, in Westphalia, non sensit. Ortum periculum ab urbis consule, seu primario magistratu, qui Lutheri dominatum in urbe confirmare decreverat, pulsa Societate, cui convenire cum Luthero nunquam posse cernebat. Occasionem illi obtulit instantis belli rumor. Hostes à nostris accessitos in civitatis exitum clamitat. Lustratur & excutitur collegium, quod armamentarium Hispanis militibus paratum esse, ac plenum telorum, jactabat. Nihil præter libros ferme repertum, arma innoxia. Ut est insolens Hæresis, ac ludos è cleri & religiosorum virorum contemptu captat, jubentur monachi è cœnobiis prodire claustris, & militares in foro ac pro mœnibus stationes obire. Sustulit cachinnos hæretica fæx, procedente nova militum caterva, hinc nigra, inde alba: præeuntibus ante signa vetulis monasteriorum præsidibus, & ignota tela parum ex arte tractantibus; tum etiam cana capita demittentibus ad ferrearum fistularum, quæ de industria explodebantur, terrificos fragores. Coacti procedere ad eundem modum cum suis villosis amictibus Canonici. Ventum ad Patres Societatis. Enimvero deerat absque illis tam lepidi spectaculi pars magna. Jussi cum suis discipulis professores arma capere: indictum scholis triste justitium, civibusque denunciatum præconis voce, ne quis in posterum liberos in disciplinam nostram traderet. Quid multa? consul de Patrum capite ac bonis proscriptionem fert. In his angustiis Divina bonitas, cum opis nihil in ipsa urbe affulgeret, adfuit. Ritbergensis Comes ubi de religionis ac Societatis periculo cognovit, nocte intempesta portis oppidi affultat, mœnibus scallas advomet. Repulsus initio non sine strage, instaurat pugnam; tertio demum die civitatem occupat, ac seditiosos in vincula conjicit. Inde processit in collegium, & rei divina, ut gratias Superis ageret, interfuit. Consulem carcere inclusum, & meritæ additum neci, convenere Patres: & quæcumque fas erat, solatia misero subsidiaque detulerunt: sic enim hostes insensissimos caritas ulciscitur. Ille obstupescens, & inexpectata benignitate victus, in eorum complexu devovit Lutherum, & mortem animo forti pioque tulit. Hac nova clade consternatum Lutheri agmen abiecit hastas, nec pauci castra erroris deseruerunt.

Actum quoque de collegio exstruendo Enfishemi, unde fructus non levis in omnem Alsatiam derivaretur. Hanc enim urbem quasi coronant vicina oppida permulta, cum trecentis & amplius pagis, arcibusque plurimis. Vestigal magistris litterarum constitutum, area domui ædificandæ quæsita: ultima tamen operi manus nisi anno MDCXIV. non est imposita. Assignatus pariter lyceo Constantiensis locus in ea civitate amplissima, ubi jam annos aliquot Societas confederat, operamque suam civibus probaverat. Initium ædificandi factum VIII. Id. April. MDCIV. Quominus Clagenfurti susciperet Societas juventutis instituendæ munus, quod ipsi demandare dudum percipiebat Ferdinandus Archidux, ut in Carinthia cujus caput ea civitas est, laborantem temporum calamitate religionem fulciret, obstitit aliquandiu hæreticorum livor, & insanabile adversus Societatem odium. Ad eam tamen ibi collocandam ipsimet non parum, etsi præter spem ac voluntatem, adjuverunt. Ædes amplas condiderant, in quas convenirent, suum Dei verbum audituri. Fabrica surgebat ingens; eoque disposita mo-

do, ut speciem collegii præ se ferret, dicanturque passim cives non aliis adificatam fuisse, quam Jesuitis. Eam postea filio Principis additam, Ferdinandus hoc demum anno MDCIV. ut pridem constituerat, nobis habendam in perpetuum dedit. Proscriptis deinde civibus qui publica rei ac religionis tranquillitatem perturbare moliebantur, erexit se catholicorum antehac oppressa pietas, & sacrosanctum Christi corpus vicatim circumductum, repetitâ post quadraginta duos annos, quàm intermissa fuerat, solenni supplicatione. Hanc honestabant ordines oppidi omnes, cum suis quique vexillis: præibant octoginta virgines, ex amplissimis lectæ familiis, floribus redimitæ; sequebatur civitas lacrymis gaudisquæ perfusa. Haud minore lætitia restitutum est Cameracense collegium. Hanc Belgii urbem amplissimam ingressa Societas anno MDLXXIII. solita ministeria pacatè ac feliciter exercuerat usque ad annum MDLXXIX. quo arcis Cameracensis gubernator Carolus Gaurus Incius, à federatis Ordinibus ad defectionem sollicitatus, perturbavit statum civitatis: optimos quosque exilio, alios irrogatâ per injuriam multâ, nonnullos carcere damnavit: turmam equitum in collegium immisit, mutatis in stabula scholis, id agens ut sponte oppido cederemus. Certum nobis erat, in tanto religionis periculo, stationem nobis creditam, quandiu liceret, non deserere. Anno vertente vexatio recruduit. Itaque visum est consultius non expectare dum vis ultima pararetur. Duacum Patres diffugerunt XVII. Kal. Febr. MDLXXX. Reversi sunt Cameracum anno MDXCV. Sed ingruens anno sequenti lues paucis mensibus decem hominum millia sustulit. Subventum est omni ope laboranti civitati; nec Musis locus fuit in tanto discrimine: ex quo statim atque paulum recreata civitas est, instaurata sunt utrumque scholæ, ac nulla promovendæ pietatis occasio prætermissa, in carceribus, in nosocomiis, in castris, apud cives, & advenas è vicinis oppidis affluentes. Anno denique MDCIV. P. Oliverius Manareus Provincialis III. Kal. Aprilis egit cum urbis primoribus ut collegium in pristinum splendorem restitueretur. Opus inchoatum impigre, & anno MDCVI. feliciter est absolutum,

20.
Tumultuosa
Bilbaensis colle-
gii primordia.

Collegii Flaviobrigensis cunas parum absuit quin sanguine perfunderet non immanitas hostium religionis, sed eorum invidia, quos in amicis & Societas & religio numerat. Flaviobriga, seu Flavionavia (Bilbaum vulgus vocat) Bilbae primaria civitas est. Dominicus Gorgolla vestigal annum testamentò assignaverat, ut lyceum in hac sua urbe Societas aperiret, si urbano senatui videretur: fin minus, ut Compluti Seminarium juventuti erudiendæ conderetur. Senatus, re cognita, Patres evocat; decretum rite conficitur. Adest ipse Provincialis cum aliquot Sociis; Ordinum religiosorum præpositus convenit: sed paulo tardius; jam enim de illo excludendo clerus cum monachis conspiraverat; & per eos concitata plebs moliebatur seditionem. Prætor id metuens, & plebi sedandæ intentus, cunctabatur Patresmittere. Provincialis experientia doctus quantum rebus vel optimè constitutis obsit procrastinatio, domum collegio destinatam suppellectili, quam advexerat secum, ornat: tum adhibitis testibus & scriba, occupat possessionem collegii, & pulsato ære campano, rem Divinam facit. Hoc signo velut admoniti religiosarum familiarum præfides conveniunt ex urbe tota, cum maxima cleri parte, in amplissimam Sancti Jacobi ædem, ac deturbandum cum Sociis Provinciale clamant, conferendasque manus, si res ferat. Placuit tamen prius mitiores tentare vias; quæ si non succederent, ad extrema omnia descendere. Allegatur ad Provinciale omnium nomine sacerdos, qui Patribus edicat, ut sponte sua collegii possessione cedant. Respondet Provincialis nequaquam se collegium invasisse, sed vocatum à senatu & populo; Summi Pontificis, Nuncii Apostolici, Antistitis, Regis, auctoritate fretum: initam esse possessionem coram testibus, libellionis publici tabulis consignatam, ac proinde non jam illam privatam esse domum, sed collegium civitatis, cujus possessionem abdicare nec possit, nec debeat. His auditis copias explicant, & instructo agmine domum nostram procedunt. Crux, belli feralis signum, præferebatur: linteati milites trium religiosorum Ordinum, securibus, saxis, gladiis veste latentibus instructi sequebantur; claudebat agmen clericorum Capitulum. Pii moduli concine-

cinebantur, credo ad implorandam Superum opem, pro successu belli non ha-
stenus usitati. Patres ista supplicatione parum lati fores occludunt, ac taciti
se parietibus, silentio, & precatione muniunt.

Postquam domum cohors generosa pervenit, processit agminis quidam quasi
signifer, & pandi fores magna voce jussit. Respondet Provincialis id quod jam
reulerat, se domi suæ consistere, illos vim injustam inferre: Pontificis etiam
diploma, decretum civitatis, litteras Apostolici Nuncii, per quas alii religiosi
Societatem excipere jubebantur, profert. Cum hæc parum illis satisfacerent,
procurrit è conferto agmine robustus ac valens theologia professor, nec lingua
tantum & ingenio, sed manu quoque promptus. Expedi securim & januam mo-
mento diffingit: primus per patentem ruinam irrumpit; quem fausto clamore
secuta phalanx omnis, ruit. Patres, dejecto priore munimento, recipiunt se in
interiorem domum, & conclave trepidi petunt, quod in facelli modum adorna-
verant, ubi sanctissimum Christi corpus asservabatur. At victores successu ere-
cti, quidquid obstat convellunt, & superatis celeritate summa scalis, portam quo-
que illius facelli dejiciunt. Fortium virorum est lenitatis in victoria meminisse,
ac parcere subiectis. Ergo senior, qui primam regebat aciem, & juniorum mi-
litum ardentem frenabat impetus, consistit in aditu facelli, & sublata manu im-
perat, ut à Patrum cervicibus ac jugulis abstineant; religio orum hominum non
esse iracundiâ efferri longius, quàm æquitatis & sapientiæ lex patiatur; nec se-
recorum poenâ, sed poenitentia, lætari. Hoc imperio compressi omnes arma de-
ponunt: ipse sacrosanctam hostiam cum sua pyxide & calice asportat; ceteri aram
ornamentis spoliant, lampadem præfocant, æs campanum detrahunt; hisque di-
tati spoliis, tanquam votorum compotes, eodem ordine & pompa in ædem
D. Jacobi revertuntur. Postridie Provincialis Nuncium Pontificium & regii con-
sillii proceres facit de re tota certiores. Facinoris atrocitate ac sceditate permoti, bi-
nos judices ire confestim Flaviobrigam jubent, alterum qui de laicis, alterum
qui de religiosi & clero cognoscat, Patresque pristinam in possessionem reponat.
Mutata continuo rerum facies. Clerici, quorum in templo deposita fuerat, cum
à nobis auferretur, Divina hostia, illam venerabundi reportant, ac veniam pre-
cantur. Laici priora, quæ secundum Societatem tulerant decreta, rursus esse
rata jubent: reparatur facellum, reficiuntur fores, judices placantur à Patribus,
& in solidam pacem omnia componuntur.

Non tanto strepitu, at majore pertinacia Societatem in perpetuum suis ex-
clusam finibus volebant hæretici Bearnenses, idque ad fovendam regionis tran-
quillitatem, & compescendos populi tumultus, omnino esse necessarium persuase-
rant Henrico IV. qui apud illos fuerat educatus. Hoc vero P. Cotonus eo mole-
stius ferebat, quo utilior iisdem futura Societas videbatur ad evertendam hære-
seos, in isto Aquitaniæ angulo adhuc veluti dominantis tyrannidem. Ergo Hen-
ricum admonuit, ab eoque liberam ad Bearnenses juvandos Societati per-
inde ac reliquis divini verbi præconibus, & bonarum artium magistris, faculta-
tem poposcit; & quamvis obnitentibus acerrimè permultis, quibus error cordi,
Societas odio erat, impetravit. Plus molestiæ tamen habuit ad Societatem
retinendam Pictavii, quàm ad eandem Bearnensium inferendam. Est Pictavium in-
clyta civitas veteris Aquitaniæ, cujus olim Episcopus Hilarius grassantem toto
terrarum orbe Arianam impietatem à Gallia depulit. Tres illuc sacerdotes sub
anni MDCII. finem, annuente civium precibus Rege, missi omnem hæreticæ
calliditatis & malitiæ acerbiter pertulerunt; jamque mysteriorum frequentem
usum, qui valde obsoleverat, ceterasque disciplinæ Christianæ leges revocare
feliciter coeperant. Lata civitas illis gymnasium sanctæ Marthæ concessit habi-
tandum, & ludimagistros, quorum desidiæ cives dudum poenitebat, alio migrare
jussit. Inde accensum adversus Societatem odium vetus malevolorum, quod pau-
lisper sopitum patientia nostrorum & comitate, languebat. Dux Sullius provinciæ
gubernator, ab iis quos debuerat compescere, delinitus, illorum favebat votis.
Ejus auctoritate sulti tumultu ac terrore complebant omnia. Catholici contra,
communibus studiis collegium retinere moliebantur; iidem tamen gubernatoris
offen-

21.
Anni 1605, do-
micilia.

offensione mæsti, & potentia territi, spem inter metumque fluctuabant. Cotonus interim quidquid apud Henricum & proceres eloquentiâ, quidquid gratiâ potuit efficere, haud segniter adhibuit: neque gravatus est Rex ad Sullium, ut oblectari desisteret, scribere; festivè addens (nam omnia gerere leniter amabat, imperii ac severitatis parvus) cogi se per suorum administratorum incuriam, amanuensem suum esse. Pari benignitate Cadurensibus & Viennensibus collegia postulantibus annuit: Lemovicensis & Molinensis dotem auxit: Flexiensis centena aureorum assignavit millia: prorsusque suam illam vocem probavit esse veram, qua pollicitus olim erat futurum ut suis in nos beneficiis priorum Regum munificentiam longè superaret. Quod Socii Pictavienses timebant ab hæreseos patronis; hoc ipsum jam in Alvernia experti Mauriacenses erant. Collegium, anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio feliciter inchoatum, urbe decennio post à Calvini satellitibus occupata, conjectis in fugam Patribus, directum, ac penè dirutum fuerat. Civitate vastata, rebus sacris ac profanis fœde populatis, impius grex præda onustus paulatim absecessit. Cives ubi primum respirare cœperunt, ad sarcindas urbis, ac potissimum collegii, ruinas adjecere animum: rediit brevi litteris pax & securitas: magistri collegio redditi. Verum ecce tibi alius turbo redivivam extinxit academiam. Exhausto bellis civilibus ærario, cum argentarii Parisienses, soliti censum annuum pensitare, solvendo non essent; intermissæ scholarum exercitationes, magistri alii alio dimissi, ædes vacuæ civibus mærentibus traditæ. Jam annos duodeviginti solitudo hæc tenuerat, cum de restituendo collegio cogitari cœptum: civium studia stimulavit viduæ prædixit liberalitas, quæ ad census pristinos, injuria temporum attritos, non modicam fecit accessionem. Sic scholas tandiu oclusas juvenus studiosa, ineunte Novembri MDCV. referavit. Ne citius collegium Ebredunense in Delphinatu surgeret, eadem hostium religionis acerbitas fecit, quæ Mauriacense jam constitutum everterat. Ebreduni Archiepiscopus ac Princeps Guillelmus Avansonius, illapsæ in urbem hæresi Calvinianæ Societatem opponere statuerat jam tum ab anno MDLXXXIII. * Post varias ultro citroque partim cum civibus, partim cum Præposito Societatis Generali deliberationes, tandem anno MDXCVIII. conventum erat in certas utrimque condiciones. Inciderunt calamitosissima tempora, & consiliis optimis inimica. Non contenti Ecclesiæ & regni hostes animos erroribus inquinasse, expugnarunt mœnia, & in urbe capta diu dominati, tristissima crudelitatis impiæ vestigia reliquerunt, pulso antistite, sacerdotibus exterminatis, æquatis solo sacris ædibus, deletis omnibus religionis antiquæ monumentis: sic eam reformare se scilicet profitentur. Compositis prudentia Henrici IV. rebus, redditus est suus urbi præsul, sua religioni libertas: at cogitantem de revocandis Patribus sapientissimum antistitem mors oppressit. Ejus successor nihil sibi faciendum prius duxit, quàm ut bene per suum antecessorem cœpta perficeret. Laudavit rex consilium, & accitus Ebredunum Provincialis rem cum Archiepiscopo transegit. Restituta Patribus est ipsorum domus, dejecto, qui eam occupabat, hæreseos ministro.

** Joanne de Fontanges, Dominæ de Lavaur.*

** Parte V. Hist. Lib. III. n. 119.*

Repressa pariter catholicorum ope improbitas hæreticorum, Altenensis collegii perniciem anhelantium. Ipsorum favere conatibus videbatur incendium, quod à vicinis ortum ædibus præceps ad nostras ferebatur. Patres humanis omnibus destituti remediis ad divina confugiunt: Producta è sacrario & objecta flammis grassantibus sanctissima Eucharistia illarum vim represserat. Quo prodigio victa nonnullorum catholicæ veritatis hostium pertinacia plane fuit. At alii, qui Partistarum exustam noctu cum templo domum læti audierant, egressi postredie ut oculos ejus ruinis pascerent, ubi stare integram intractamque conspexerunt, furore inflammati vastant hortum, scholarum portas comminuunt, gladios cervicibus nostrorum intentant; ac nisi proceres quidam advolassent, impetusque furientium retardassent, id evertisset mortalium impietas, cui flamma pie repressa pepererat. Actum durius est cum Sociis in Hungaria vicinisque provinciis, quas belli à Botksaio excitati ferale incendium populabatur. Itaque collegio Sellienfi, ac Thurocziensi domicilio exuti sumus. Patres Posonium se receperunt. Hostes Sellia

Sellia occupata, diram ædibus ac templo Societatis vastitatem intulere. Perstiterant in collegio quatuor è nostris. Unus, ceteris opportunè captantibus latebras, hostium in manus venit. Pertrahitur in forum, pugnis calcibusque contunditur: denique latâ in eum ab hæreticis militibus sententiâ, traditur carnifici, ex infelici arbore suspendendus, simul atque exercitus flumen oppido vicinum transmisisset. Miles sceleratus moram hanc non ferens, gladium stringit, & concitato equo in eum obruncandum fertur. Jam imminebat infestus, cum repente equo prolapsus ruit. Attoniti reliqui captivum innocentem, condonata vita, venalem proponunt: sed ita deformatus erat verberibus, toto capite tumido, liventi vultu & cruento, ut emptor defuerit. Quare solum vinculis ac semianimem à castris propellunt. Vix passus mille confecerat, cum instare latronum armatam conspicit manum. Abdit se in cœnosam fossam: ab iis extractus, & interiori, quæ restabat, veste spoliatus, vix incolumis dimittitur. Inde in vicinum prorepsit pagum, ac reparatis paulisper viribus, Posonium ægre tenuit, ubi salvos Sellienfes Socios deprehendit. Sed neque Posonii diu consistere licuit per vicini fragorem & metum belli. Civibus omnibus in fugam intentis, Patres conducto navigio imponunt supellectilem sacram, libros, & quidquid è Sellienfi naufragio colligi poterat. Adverso Danubio Viennam properabant, cum unda impetu navis abrepta, & in litus impacta frangitur, vix ut enatandi spatium vectoribus fuerit. Sarcinæ partim amissæ, partim undis corruptæ. Uni è nostris sacerdotibus tam fœda clades, salutaris & optanda propemodùm fuit. Is diuturno & immedicabili articolorum dolore laborabat. Sed quo tempore navigium frangebatur, tanta correptus est instantis necis formidine, ut qui se commovere antea non poterat, alacer exilierit in ripam, ac podagram in perpetuum excusserit. Collegium Sellienfe Societatis ac templum occuparunt duo Calviniani verbi præcones, qui alternis sua populo venena propinabant, exclusis templo catholicis: quos tamen penitus non destituit Numinis providentiâ. Juvenis, auditor paulo ante noster, conciones ad eosdem habuit tam nativa præsentique facundia, ut in discipulo magistros agnoscerent. Simillima clades illi quæ Sellienfe collegium everterat, Torunense in Prussia, biennio post disjecit. Conditum illud fuerat anno MDCV. in Prussia regali, auctore præcipuo Laurentio Gebickio, Culmensi Episcopo, cujus prudentia singularis & auctoritas plurimum valuit ad comprimendam plebeculâ in nos à Lutheranis concitata proterviam. Sed exorto postea civili tumultu cujus facta mentio fuit libro superiore*, Toruno ejecta Societas est, neque ante annum MDCXII. restituta. Eandem per hunc tumultum tentaverunt hæretici pellere Sandomiriâ, qua in urbe statio Societatis anno pariter MDCV. fuit in justum mutata collegium*. At eorum conatus nobilitas in comitiis Warfaviensibus infregit.

* Lib. XIV. n. 19.

* Supra n. 17.

pacata exitere primordia collegiorum Oscensis in Hispania, Massensis in Italia, & Messanenfis Professorum domus in Sicilia. Oscense conditorem habuit, uti diximus, Petrum Martinium. Inchoatum est hoc tantum anno MDCV. ob eas quæ narratæ sunt causas. Domum Professorum per idem tempus condidit Messanæ Hieronymus Contus. Leonora vero à Rocca, Marchionissa Spaccafurni, collegium heredem ex asse moriens instituit. Eidem suas donavit ædes, quibus laxatæ sunt scholarum angustia. Duas dotes, rarè hætenus repertas in feminis, miro vinculo in se colligaverat, summam eruditionem cum excellenti pietate ac modestia. Non solum vernaculam eximie callebat linguam, sed Latinam præterea, Græcam, & Hebraicam, sic, ut iis omnibus commodissime loqueretur, & scriberet elegantissimè. Dialecticam perceperat; theologiâ tum subtilioris, tum moralis arcana pervidebat; idque, cum annum hunc MDCV. quem postremum habuit, numeraret quintum duntaxat vitæ ac trigessimum. Est in regno Neapolitano Massa, cognomento Lubrensis, sive Delubrensis; ita dicta quod inclytum olim ea in urbe delubrum esset, Minervæ dedicatum. Additum illi porro fuit ab indigenis id cognomentum, ut distinguatur ab aliis duabus in eadem Italia civitatibus, quæ pariter Massæ nominantur. Hæc insidet monti cultissimo & feracissimo, Surrentum inter & Capreas; ad oram maris Tyrreni. Vicinam Neapolim

lim prospectat, à qua modico sinu discluditur. Populus mire docilis & ad pietatem natus. Itaque non paucos ex hac urbe in Societatem adscriptos lati videbamus. Unus ex illis sacerdos Vincentius Maius, debebat Neapoli, tanta probitatis ac prudentia fama, ut civitatis primores eo uterentur & administro sacrae confessionis, & praecipuo ad opera pietatis duce. Ille, valetudinis causa, in patriam ante annos aliquot proficisci coactus, de Societate Massam inducenda rationem inivit cum civibus suis, & Neapolitanis proceribus; ac paucis mensibus negotium è sententia confecit. Applausit faustis collegii primordiis Summus Pontifex, & Augustino Quintio, Massae praefuli, re bene ac feliciter gesta gratulatus est. Amplitudo aedificii & Massensis caeli salubritas postea persuasere, ut eo deducerentur nostri sacerdotes qui tertium probationis annum obeunt.

22.
Data Societati,
sua redditu col-
legia an. 1606.

Publica pax in Galliam superioribus annis revocata Societatis vetera confirmavit collegia, nova excitavit. Reddita quidem fuerat nobis Lutetiae Professorum domus anno MDCIV. & collegium MDCIII. Sed privata tantum Regis voce, nullo publico instrumento ac diplomate interposito. Illud anno MDCVI. impetratum, & à senatu comprobatum fuit, quo securi deinceps in hac primaria regni urbe constitimus. Nondum tamen Regi placuit referari scholas Parisienses, donec Flexiense collegium adolesceret. Eò nobilium liberos ultro amandabat, neque ipsi quidquam accidebat jucundius, quam cum illud frequentari audiret. Quae Regis voluntas cognita tantum excivit lectissima juvenutis numerum, ut mille ac ducenti auditores in scholis Flexiensibus recenserentur.

In eadem Gallia per eundem annum MDCVI. patuerunt collegia Molinense, Cadurcense, & Viennense: Oenipontanum in Germania, & Niciense in Italia.

Urbs Molinensis, Ducum olim Borboniorum sedes, tanto majori latitia collegium reclusum vidit, quanto cupidius illud expetierat. Neque vero expectandum sibi duxerat, dum senatus Parisiensis rescinderet edictum anno MDXCIV. contra nos conditum; ipsa Societatem, antequam Parisios revocaretur, evocavit, & anno MDCIII. potestatem ejus admittenda, ab Henrico IV. impetravit. Dum quaeritur fundus, in quo novae academiae vestigia collocari tuto possent, vir nobilis, Castroromantii dominus, obtulit pradia duo luculenta, quibus Rex adjunxit xenodochium S. Juliani, à Borboniis Principibus olim fundatum. Inferiorum scholarum initia cum bellissime procederent, exoravit universa civitas, ut lycæum philosophicum illis, tanquam cumulus, accederet. Litterarum studiis ita constitutis, adhibere curam Patres ad fovenda in populo & ornanda studia Christiana pietatis. Gratissima vero civitati accidit eorum in omni officii religiosi parte sedulitas, praesertim cum anno MDCVIII. grassante tetra lue, intellexit infimi cujusque civis salutem, solatium, valetudinem, ipsis sua esse valetudine ac vita cariorem. Cadurcum, Episcopi sedes, in eo tractu Occitaniae inferioris, quem Cadurcium vocant, academiam olim habuit numero professorum & doctrina florentem, ut testantur vetusta monumenta: sed paulatim, quae conditio rerum est humanarum, ille splendor obsoleverat; neque professores, licet optimis dotati stipendiis, & magna cura acquisiti, civium votis & expectationi satis respondebant: adeo ut liberos suos in vicina collegia Societatis amandare cogerentur. Hoc ferebant Cadurcenses eo molestius, quod sub annum MDC. Mons-Albanus (civitas est in eodem Cadurcio, arx quondam & propugnaculum haereseos) accitis doctoribus Calvinianis, academiam erroris instituerat. Huic Seminario impietatis aliud objicere Seminarium, & arcem religionis, decreverunt, suamque academiam in pristinum decus revocare, arcessitis professoribus Societatis. Ea consilia communi civium consensu agitari coepta jam erant anno MDCL. oblatumque collegium S. Michaelis in media urbe situm: nihil tamen constituendum censuit P. Laurentius Magius, Societatis in Gallia Visitator, prius quam Henricus IV. latam à senatu Parisiensi de nostro exilio legem abrogasset. Hæc postquam antiquata fuit, ac revocata Societas sub initium anni MDCLV. nihil obfuit quin vota clarissima civitatis audirentur.

Vienna, civitas ejusdem Galliae perantiqua, & Archiepiscopi sedes in Delphinatu, duos è Sociis ad conciones & consueta ministeria Societatis acciverat. Ambo-

Amborum conspecta sedulitas excitavit urbis in Societatem studium, & communibus omnium ordinum suffragiis decretum est, ut ad instituendam juventutem rite vocaretur. Obstabat collegiorum Lugdunensis, nec non Turnonenfis, vicinia; tum angustiæ urbani gymnasii. Hanc utramque difficultatem pervicit ardor civium, & traditis Societati scholis antiquis, donec pararentur novæ, immissum est in eas studiose juventutis examen; incunte Novembri anni MDCVI. Manavit è collegio in reliquam urbem fructus pietatis; exagitati ludii, & histriones; compressa periculosa licentia theatri, quæ blandam per oculos atque aures pestem moribus, præsertim adolescentum, afflabat; inductus frequentior sacramentorum usus; extincta diuturna inter duas principes familias discordia, quæ prope tota civitas desagrare, & in mutuam armari perniciem, cœperat.

Oenipons, Tirolis caput, ad Oenum fluvium & radices Alpium Tridentinarum fedet. Ibi collegium ab annis tribus productum, isto denique MDCVI. maturitatem suam & absolutionem habuit. Quantum ad res gerendas virium & momenti habeat constans patientia, haud facile declaratum alias fuit insignius, quam in collegio Niciensi. Ejus laboriosa primordia retulimus*, quæ felicem hoc anno exitum denique sortita sunt. Ita se gesserant Patres Augustinus Confalonierius, & Michael Pererius jam inde ab anno MDXCVII. quo primum Niciam accesserant; ut eos approbare vel ipsa invidia cogeretur. Præter usitata Societatis ministeria, commendabat præcipuè populus illorum in morientibus ad æternitatis iter comparandis industriam; ac tentatus morbo Niciæ recens Episcopus, propriam hanc Societatis laudem esse dicentis, Patrem Confalonierium, adesse tandiu sibi, donec morbus remitteret, voluerat. Convaluit. Sed, siue curas graviore ejus valetudo nondum confirmata respueret; siue esset ad lenitatem proclivior; siue demum pacem, licet iniquam & infidam, quovis pretio ac detrimento bene redemptam putaret; causam Societatis & famam, odiis multorum tacitis adhuc laborantem, neglexit. Sensere præfulis indolem adversarii. Tanta lava in Patres tempestas concitata repente est, ut cedendum Nicia putaverint. Reversere anno MDCII. pridie Kal. Novembr. Proborum pietas, experta Patrum opem tot annos, eam flagitare vehementius ab Episcopo, primoribusque civitatis institit. Quare profectus Romam, jubente populo, Joannes Baptista Vachierus, civis primarius, Socios à Præposito Generali repetiit. Venere sub annum MDCV. Joannes Franciscus Peyrus, & P. Franciscus Pinea. Sed P. Augustinus Confalonierius, ejus benevolentiam, sedulitatem, & patientiam civitas diutius cognoverat, revocatus ab eadem nominatim est anno MDCVI. & in locum P. Peyri suffectus. Statim damna pristina sarcire cœpit, quæ concionando, quæ Fidei elementa rudibus tradendo; nunc vinctis in carcere, nunc remigibus in triremi, aliàs agris in nosocomio, palam inserviens. Idem in pravas populi consuetudines è superiore loco liberè invehens effecit ut dierum festorum cultus, qui planè jacebat, publico decreto sanciretur. Erectis, per hanc publicæ rei ac pietatis curam, civium studiis erga Societatem, obtrectatoribus partim extinctis, partim aliqua calamitate domestica mitigatis, in unam omnes de adsciscendo quamprimum collegio sententiam facillimè convenerunt. Pontii Sevæ liberalitatem & operam collegio navatam ornavit grata memorque Societas delato ipsi nomine fundatoris, & civitas statuâ sumptu publico eidem positâ. Transactum pacatè confectumque negotium; collegium denique anno MDCVII. suis numeris absolutum, stupentibus qui tanta mole per tot annos in illud evertendum incubuerant.

Instaurandi Nivernensis collegii data facultas anno MDCVI. fuerat: operi manus ultima sequenti MDCVII. accessit. Est Nivernum (olim Noviomagus Vaudicassiam) provinciæ cognominis caput, inter Burgundiam, & agros Borbonium ac Bituricensem. Lingonas, præclaram pariter Galliæ civitatem, ad Matronæ fontes, in extrema versus Austrum Campania, venerat Societatis sacerdos, negotii causa. Oratus ut ad populum diceret in primario urbis templo, verba fecit summa civium omnium approbatione. Coacto urbis consilio, rogatisque singulorum de collegio, quod pridem expetebant, instituendo sententiis, nullius suffragium desideratum est. Itaque datum civibus, qui tunc versabantur Lutetiæ, negotium

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

Qq

ur

* *Supra. n. 11.*

23.
Instaurata, vel
condita domici-
lia anno 1607.

ut vota totius urbis ad Regem deferrent. Adjecta commendatitia littera, tum ab Lingonensi Episcopo, tum à civitatis gubernatore. Rex dato diplomate nos in urbani collegii possessionem venire iussit. Ne statim regio diplomate gereretur impetrarunt adversarii Societatis, ac praesertim haeretici, qui tunc in urbe plurimum pollebant. Intercessit Henrici IV. iustiosa mors, & collegii negotium veluti sepultum oblivione jacuit, donec anno MDCXVIII. recens Episcopus Sebastianus Zamerus illud fundandum aedificandumque in se recepit. Variis obicibus superatis, inita rite possessio collegii anno MDCXXX.

Dum primæ Probationis domus Burdegalaë condebatur, Carpentoraeste collegium diu postulatum accepit, Oppidum est Pontificiaë ditionis in Gallia, Vindasini Comitatus caput, inter Vasionem & Avenionem. Obstiterant acriter Avenionenses, veriti ne quid, ob utriusque viciniam civitatis, collegium suum detrimenti caperet, Eventus docuit nihil ipsis decessisse, nec parum adjumenti Carpentoraestensibus, & finitimis locis accessisse.

Inter præcipuas Galliaë provincias Picardia jure censetur. Caput Ambianum, antiqua civitas & Episcopi sedes. In eam fuerat anno MDLXXXIII. vocata Societas à Godefrido Martonio, Episcopo Ambianensi, & in publico urbis conventu statutum, ut illi urbanum lyceum, sancti Nicolai vulgo nuncupatum, in quo segnes jacebant littera, traderetur, Negotio moram injecere bella civilia. Quibus compositis, abjecta omni cunctatione, civitas amica Societatem in hujus urbani collegii possessionem omnium consensu misit anno MDCVII.

Miraculis annumerari potest collegium Montis-Politiani, datum hoc anno Societati, vel potius redditum. Quippe jam sub Paulo IV. à Cardinali Nobilio inducti fuerant in hanc agri Senensis urbem Socii, summâ bonorum omnium voluntate; sed odio non minori nonnullorum, quibus Evangelica in vexandis flagitiis libertas non placebat, Societatem igitur tetro & immani facinore, sexennio postquam fuerat admissa, discedere coegerunt. Unus ex illo perditorum grege induerat vestem Societatis, & per mediam plateam, frequenti populo refertam iter carpens, in meretriciam domum se conjecerat. Stupere qui aderant: cohorescere qui audiebant: aucta per malevolos fama gliscere. Cooperti ignominia sacerdotes integerrimi non audebant prodire in publicum, sed contumelias, ac saxis etiam petebantur. Discessum est. Quis enim, amisâ famâ, ulli bonæ arti locus? Vix anni quatuor abierant, cum infandi auctor facinoris (nomini consulto parcimus) in gravem incidit morbum. Eo dire cruciatus, nec animam agere, nec illam in acerbissimis doloribus retinere poterat: jamque dies ipsos quindecim cum lenta & veluti negata morte luctabatur. A medicis admiratione percussis monetur haudquaquam humanum esse ac usitatum id morbi genus; videret equa in re Deum offenderit, quem ultorem haud dubie agnoscebant. Collegit se miser, Deo confessionem sceleris exprimente. Vocat primores civitatis, iisque audientibus (ut litteris publicis, eorumque testimonio rite dicto constat) fatetur illum se esse, qui Societatis veste sumpta, in fornicem se immiserit, unde constata Patribus ignominia, & allata discedendi necessitas. Nihil se in iis, nisi probum rectumque, cognovisse: veniam ab Ignatio & Societate, ab urbe tota, enixè ob tantum flagitium postulare. Hæc effatus expirat. Urbs pristinum erga nos animum recepit, tantoque ardentius revocare studuit, quanto iniquius pulsos intelligebat. Alexander Salimbenius pridem testamentum * condiderat in hæc verba, ut Societas Monti-Politiano collegium donaret: sin minus, ut à se relicta pecunia veniret ad Virgines Deo sacras, quibus à S. Bernardo nomen est. Cardinalis Taurusus, cui cura data testamenti exequendi, ulsus ea opportunitate in gratiam Societatis, Scholas adornandas curavit anno MDCVI. & aperiendas MDCVII.

Idem annus MDCVII. litem Academiaë Dilinganaë, quadraginta ipsos annos agitatum, denique decisam secundum Societatem vidit. Otho Truchsesius Cardinalis, idemque antistes Augustanus, vocata Dilingam Societate, instituerat academiam, ejusque administrationem integram nobis commiserat. Eam rem Canonici Augustani nunquam habuerant ratam, suæque potestatis ac juris esse

con-

* Parte II. Hist. Soc. Lib. V. num. 107. Lib. VII. n. 20. 21.

* Anno 1571.

contendebant adimere Sociis academiæ administrationem; collegium ipsum, si luberet, aliis tradere, nulla videlicet stabili certa que pactione donatum, Quin etiam antistites, Orthonem Cardinalem consecutos, sacramento adegerant, ne, quod fuerat à Cardinali factum sine Canonicorum assensu, confirmarent. Ita constructi præfules, licet Societatis nostræ perquam studiosi, perpetuam ac propriam academiæ possessionem nobis, ut Cardinalis Truchsesius olim sanxerat, adjudicare timuerant. Hinc variæ altercationes; hinc domestica rei difficultas, cum malignè suppeditarentur vestigalia: eo denique ventum erat, ut de collegio deserendo Societas cogitaret. Assulfit his in angustiis ac tehebris optata lux. Henricus Knoringerus, Augustanus antistes, pendentem & jactatam tot annis controversiam componere decrevit. Jam à triennio tentare voluntates Canonicorum, & nobis adjungere, studuerat. Omnibus deinde convocatis, peroravit pro Societate, ac plerosque in eandem secum sententiam perduxit. Restabat unum caput, quo nonnulli adhuc pugnabant, cum dicerent Augustanis Episcopis eam à Pontifice maximo factam potestatem, hoc datum jus, ut penes illos academiæ regimen esset. Is ad extremum obex victus, & quodcumque juris isthuc foret, Societati concessum. Igitur decreto publico transcripta nobis perpetuo jure possessio; & ad collegii rectorem academiæ totius regimen delatum.

A Rhodani fonte usque ad Lemani lacus caput, ubi fluvius idem in lacum insluit, porrigitur ingens & amœna vallis, quam Vallesiam appellant. Hanc Helvetii claudunt à septentrione, Rhætici Alpes ab ortu; ab occasu Sabaudia; Ducatus Mediolanensis à meridie. Tota dividitur in superiorem & inferiorem, Superior, quæ solem orientem spectat, in septem partes, seu decurias, secatur, inferior in sex. Publicam rem communi consilio & jure populus administrat. Huc aditum nacta Societas est opera primùm & studio Nuncii Apostolici; deinde pagorum Helvetiæ catholicorum, præsertim Lucernensis; denique Sedunensis antistitis. Domicilium apud Aragnenses initio collocatum, anno MDCVII. & biennio post, alterum in tractu Sirrensi: unde postea migratum est Ventonam, qui locus vicinus & commodior. Anno MDCXV. jussi fuere Patres à Præposito Societatis Aragnense domicilium deserere, ubi parochorum obire munia cogebantur, quod cum instituto Societatis non congruebat. Inter ceteros errores ereptus populo fuit longè gravissimus, quo putabat nullum delictum in sacra confessione aperiendum sacerdoti, nisi prius illud sacerdos interrogando quasi eliciisset. Multos etiam pietatis Christianæ ritus vitiosus pudor propemodum antiquaverat, vix ut quisquam in publicum prodiret cum Deiparæ corona, quin pelli sibilis & conviciis exciperetur. Compressa est impiæ plebeculæ protervia, perfectumque admonendo & docendo, ut honoratissimi quique insignia religionis palam & aperte præ se ferrent.

Divinam admirari Providentiam licuit in gymnasio urbis Hagenoæ, hæreticis adimendo, ac tradendo Societati. Præerat illi rector Lutheranus, qui è duobus magistris alterum iisdem infectum erroribus induxerat. Itaque Lutheri catechismus, & alii pestilentes libri, puerorum in manibus & mentibus hærebant. Hanc labem negligentia catholicorum invexerat, apud quos postrema sæpe religionis est cura, quæ deberet esse prima. Puduit illos tandem aliquando socordiam catholicum gymnasiarcham Lutheranum illi subrogarunt. Is pestilentia extinctus est, cum altero è magistris catholico. Dum rector imponendus gymnasio quaeritur, venit in mentem senatoribus collegium tantisper Societati tradere, quæ stationem in urbe jam habebat*. Acceptum est certis conditionibus; ac ne qua tumultus occasio præberetur, prosteri placuit, neminem, etiamsi religione à catholicis dissideret, excludendum à nobis, aut afficiendum molestia. Ejusmodi conditione placati hæretici suos etiam ad scholas nostras liberos ultro miserunt: Collegium anno MDCXV. suis numeris absolutum fuit. Discussa per idem tempus turpissima, quæ Monachii adversus Societatem conficta, & Hagenoam delata fuerat, fabula momenti non parum attulit ad voluntates nobis conciliandas. Litteræ senatus Monachiensis, quibus calumnia refellebatur, fuerunt ab Hagenoensi magistratu promulgatæ: conjectus in vincula, qui primus illam Hagenoæ disse-

disseminaverat; ac presenti tempestiva severitatis exemplo adversariorum malignitas repressa conticuit.

* Lib. XIV. n. 20.

* Exstant ejus littere apud P. Joan. Argentum n. 10.

Belli civilis incendium per idem tempus utcumque restinctum est in Polonia, fuis à Rege perduellibus. Habita subinde comitia omnium regni Ordinum, Varsavia: in quibus laudata Societas, & confirmata*. Nec nihil tamen damni passa est, Toruno per hunc civilem tumultum & Gedano pulsa. Et Torunum quidem anno MDCXII. reversa, pristinam sedem placidè obtinuit: Gedanum ita rediit, ut precarium in hac urbe quodammodo spiritum diu traxerit. Aliquot Socios in eam induxerat circa annum MDXCII. Hieronymus Rozdrazows*, Uladislaviensis Episcopus, cujus in dioecesi Gedanum est, de collegio Societatis ibi statuendo cogitans. Movebat illum tot animarum quotidie pereuntium strages. Est enim Gedanum Prussia regalis, seu Polonica, clarissimum emporium, & mercatorum illuc è Germania, Suecia, Dania, comitantium communis portus: sed Hanseaticarum, quas vocant, urbium una, & libertate quadam, licet sub regibus Polonis, fruens. Hinc sentiendi licentia, & errorum colluvies. Itaque cum Episcopus vestigialia confecisset ad collegium excitandum necessaria, unumque de occupatis ab hæresi templis peteret, repulsam tulit. Oculos adjecit ad monasterium in urbe vetus ac desertum: ejus ut fieret sibi copia postulavit. Facta quidem est, at ea lege, ut ne Societas in eo scholas habere posset. Conditionem præsul non admisit, seque ac suam spem ad meliora tempora reservavit. Cum postea Birgittani templi concessus fuisset usus, eo dejecti bis per vim fuimus. At ejecta sapius Tornaco Societas fraudibus hæreticorum, ac tandem restituta catholicorum studiis, alterum in eadem civitate domicilium nata est, nempe Probationis domum, à collegio sejunctam; quod amplissima provincia jamdudum in votis erat.

24.
Collegia constituta anno 1608.

Facta sunt fundamenta collegii Castilionensis in Gallia Cisalpina, eò majori Societatis voluptate, quòd oppidum hoc natale B. Aloysius Gonzaga habuerit. Ejus frater Rodolphus, ab eo Societatem nostram ingrediente principatum, & patrimonium amplissimum ultro delatum, adeptus, filias tres, ac fratrem nomine Franciscum, moriens aliquot post annis, reliquit. Francisco cessit principatus; data dos virginibus, digna suis natalibus, si vellent nubere. At illa nuptias averfata Christum immortalem sponsum elegerunt: fortunarumque partem multo maximam patruo suo Francisco addixerunt ea lege, ut in oppido Castilionensi collegium Societatis fundaret. Amplexatus est conditionem pius Princeps pro sua erga Beatum Aloysium observantia.

Clarissimum inter Christianissimi regni urbes locum obtinent Remi, Campaniæ nunc, olim Belgicæ secunda, primaria civitas, in qua Galliæ reges sacro inunguntur oleo, & regnum feliciter auspiciantur. Societatis in ea collocandæ voluntatem jam tum ab anno MDLXXXIX. susceperant Petrus Frizonus, & Petrus Servalus; ambo Remensis cleri primores, hic Archidiaconus, ille Decanus. Horum accitu Remos venerant aliquot è nostris, cum P. Thoma Darbishiro, & opportunitis concionibus, ac variis, quæ propria sunt Societatis nostræ, munitis civitatem adjuvabant. Offerebat dotem collegio necessariam Petrus Servalus, tabulasque rite perferiptas ad Clementem Puteanum, tunc provinciæ præpositum, miserat. Provincialis, dum bello civili ardebat Gallia, cogitandum de novo collegio arbitratus non est, cum agrè vetera consisterent. Itaque Servali voluntate collaudata, tabulas ei remisit. Sed anno MDCV. pace in Galliis constituta, Franciscus Brulardus, Valleregiensis abbas, & Franciæ Cancellarii germanus frater, civium rogatu, & Monachorum cœnobii Carthusiensis, cui Montis-Dei nomen est, collegii Remi ponendi facultatem obtinuit à Rege: & quia parum idoneis ad literarias exercitationes ædibus initio utebamur, aptiores coemit. Eadem tempestate ortum est, licet anno post quarto duntaxat ædificatum, Santonenfè collegium. Est ager Santonicus in limite Aquitaniæ, ad Garumnae ostium, inter agros Pictaviensem à septentrione, & Burdegalensem à meridie. Caput regionis Santones, antiqua civitas & Episcopalis. Data ponendi collegii facultas ab Henrico IV. anno MDCVII. civitate postulante, pro suo conservandæ

de religionis studio; instante, ac vota civium adjuvante, antistite Nicolao *la Courbe*, qui Santonensem Episcopatum annos quadraginta singulari pietatis ac prudentiæ laude gessit. Certavit cum egre gio: præfule ad fundandum idoneis vestigalibus collegium cœtus Canonîcorum, doctrina, virtute, acceptis à Sede Apostolica privilegii amplissimis celeberrimus. Venit in partem operis Jacobus Guitardus, claro inter Santones ortus genere, Regi à sanctioribus consiliis, & in Forensi curia præfes illustrissimus, Præ ceteris autem adjuvit Joannes Ludovicus *de la Valette*, Dux Sparnonius, Aquitania tunc gubernator, & summus pedestrium Gallia copiarum præfectus; amor populi, & hæreseos terror, quam consiliis & armis ubique perdomabat; & quam, collegio constituto, Patres mitioribus quidem armis, at non minus efficacibus expugnare non cessarunt.

Infra Picardiam, ad ejus occasum, Normannia secundùm litus maritimum porrigitur. In cujus superiori parte Augum est, oppidum lautissimum, in Guisiorum ditioe. Urbem deserere, in communi rerum nostrarum clade, quam Lib. XII. retulimus; coacta Societas, in eam, adnitente apud regem Guisfa Principe, rediit anno MDCVIII. Statim pristina munia fuerunt à Sociis reperita majori contentione; excitata passim studia pietatis, præsertim in variis sodalitatibus, quæ diversas Christianæ caritatis partes amplectuntur. In iis una memorabilis est, *Fratrum Ministrantium*; ex eo sortita nomen, quod pestilentia laborantibus ministrat, iisque supremum Christianæ humanitatis officium, contegendis humo corporibus, persolvat. Ubi primum pestifera locum aliquem afflavit aura, illuc acres advolant: non tamen imparati: nam conveniunt omnes in ædem sacram, ubi inter se amantissime complexi, veniam simultatum & offensionum, si quæ sunt inter ipsos exortæ, petunt, ac vicissim dant. Deinde cum Deo redeunt in gratiam, per delictorum confessionem. Egressi templo, urbem aut pagum lue infectum circumcunt. Postremo fusi per domos, conquirunt extinctorum peste cadavera, procurant, sepeliunt. Ceterum cum civibus reliquis promiscuè versantur, & impune: continenti miraculo, quod Clemens VIII. Summus Pontifex, cum hæc sodalitia certis privilegiis ornaret, gravissima oratione dilaudavit. Nemo enim unus adhuc, qui quidem catholicus fuerit, dum hoc munere fungeretur, aut peste, aut alio morbo, affectus est. Illustravit miraculum fors vicinorum dispar. Deppenses hæretici similem instituerant cœtum, in simili malo: sed eventu perquam dissimili. Nam sodales, gravi cum ceteris quina strati, docuerunt non aliunde miseriarum, quibus mortalitas exercetur, petendum esse remedium, quam ab ea Ecclesia, quæ potentiam veri Numinis non minus, quàm veritatem, apud se depositam conservat. Cum domicilia Societatis in Gallia valde auferentur, placuit Aquitania provinciam, quæ longius porrigebatur, in duas dividere, ut è provinciarum catalogo, quem ad hujus Libri XV. calcem adjiciemus, patebit. Collegia Burdegalense, cum domo Probationis nuper inchoata: Petrochorense, Aginense, Lemovicense, Picaviense, & Santonense, relicta sunt provinciæ Aquitaniæ. At Billomense, Ancienne, Blietense, & Albenacense, decerpta sunt è provincia Lugdunensi, & cum collegiis Tolosano, Mauriacensi, Ruthenensi, Auscitano, Cadurcensi, ac Probationis domo Tolosana, provinciam recentem Tolosanam constaverunt. Molinense collegium contributum est provinciæ Franciæ, cum esset antea Lugdunensis: Dolanum vero & Vesuntinum, quæ in Francia numerabantur, reddita fuere Lugdunensi. Belgicæ quoque provinciæ restitutum fuit collegium Dionantense, quod anno MDLXIII. inchoatum, steterat per annos fermè decem. Iis elapsis cum rector a magistratibus postulasset, ut quæ pensio per annos singulos collegio concedebatur, hanc esse ratam in perpetuum & fixam vellent, negatumque id esset; repullam ægre ferens, scripsit Romam ad P. Everardum Mercurianum, recens creatum Generalem Societatis Præpositum, & acrioribus verbis oppidi tenuitatem vix collegio parem, angustias rei familiaris, bellorum tumultus, & imminetia pericula dolenter enumeravit. Negotium rectoris arbitrio permissum est, qui festinato discessu, vix præmonitis civibus, Leodium nostros transtulit. Quamvis res ingratiſſima civibus accidisset, qui se, liberosque suos, necessario difficillimis temporibus subsidio pri-

vari vehementer dolebant, nunquam tamen abjicere voluntatem reparandi collegii, aut nostros singulari benevolentia complecti destiterunt. Itaque illis ad conciones crebro evocatis utebantur, & in eorum vigilantia spem tutandi ab hæreticorum insidiis oppidi reponebant. Nec frustra. Quippe P. Zacharias Rotz, animo semper excubans pro conservanda integritate doctrinæ, perniciem à nonnullis parari deprehendit, qui plus prodesse, ac minus timeri solenti Pestiferum fœdus ad errorem profeminandum tres maximè conflaverant; Ludimagister, medicus, & concionator. Primus illustriorum civium, & vicinæ nobilitatis liberos instituendos susceperat, ac tenera in ætate radicem pietatis religionisque vitabat. Alter, per causam, & nomen curandi corpora, venenum hæreticos propinabat animabus; dupliciter nocens, qui non ægros tantum, sed sanos etiam inficeret; nam ad utrosque facilem aditum ars necessaria dabatur. Tertius cathedram veritatis in pestilentia cathedram mutaverat. Priores duo detecti veteres solum coacti sunt. Concionator, deposita, quam ad fallendum & macandam induerat, ovis pelle, Genevam se recepit. Defuncta tanto periculo civitas homines Societatis, tanquam liberatores suos aspexit, nec habuit quidquam operitius, quam ut eos pristinam in sedem restitueret. Datis igitur ad Claudium Aquavivam literis, revocati fuere in urbem, post annos quinque & triginta, quam ex eadem discesserant. Collegio tamen sua, nisi post biennium, forma justusque modus non adfuit. Novæ sedis fructus extemplo apparuit. Nonnulli civis injuria, ut ipsi rebantur, à magistratibus affecti, ad Principem Ernestum, quasi jam loci nihil æquitati & legibus in urbe foret, confugerant. Princeps infestas ad urbem copias promoveri jussit. Conternata improvise periculo civitas ad nostros accurrit. Illi pacem componendam suscipiunt. Ducibus conditiones æquissimas, & Principi placituras, proponunt. Receptæ intra mœnia sine tumultu copiarum, sub vesperam, compositis rebus, eductæ sunt: gratiæ Patribus velut oppidi conservatoribus rursus actæ.

Zagrabiam, urbem regni Hungariæ, in Scævonia, anno MDCVI. accitu civium, ingressi Patres, messem votis & laboribus non imparem collegerant. Ædificatæ deinde scholæ anno MDCVIII. lectam juventutem, inter festos tonantium tormentorum strepitus, post rem divinam in primario templo peractam, acceperunt. Progressi vicina in oppida Socii verbum salutis studuerunt avidis omnium auribus inferere. Quo tempore præclarum de Societate testimonium à Croatia proceribus editum est, qui rogantibus hæreticis ut Societas ejiceretur, magno consensu retinendam pronunciarunt. Unus tantum a ceteris pertinaciter dissentiens, dignos aiebat esse nos, qui è turris, quam indice digito monstrabat, culmine daremur præcipites. Sed cum in eandem turrin paulo post conscendisset, è summo scalarum gradu præceps in caput revolutus est, ac domum semianimis reportatus. Quartus jam supra vigesimum annus agebatur, ex quo domicilium Leopoli habebat Societas*, & collegii spem aiebat; rem annus hic dedit; opera & sedulitate Stanislai Zelkiovii, atque adeo cura & studio ipsius Reginæ, quæ negotium impense Regi commendavit. Par existit Regis benevolentia erga Societatem, in concedenda collegii Luceoriensis in Polonia erigendi facultate: nec dispar adversariorum ad collegium in cunis præfocandum conatus, qui palam prædicabant, liberos suos, ubi primum pedem inferrent in scholas nostras, transire ad Ecclesiam Romanam, relicta parentum & majorum Fide. Quo elogio nullum ab iis illustrius tribui poterat Societati.

Cameneum, urbs Poloniæ, in Russia Rubra, & Podoliæ provinciæ caput, quanto validius munita contra Turcarum feros incurfus, a quibus expugnata demum fuit*; tanto cœlestibus contra vitiorum blandos impetus præfidius luctuosius destituta erat, propter militarem licentiam, & Ruthenorum, Armeniorumque pestifera contagia. Eo plus laboris & molestiæ fuit Sociis in eam urbem admissis. Collegium anno MDCVIII. designatum, biennio post constitutum fuit. Laudanda quoque nostrorum in oppido Derpatensi constantia, qui summa in egestate rerum omnium, stationem nunquam deseruere, licet collegium, bello cum Succis per octo jam annos gesto, miserè deformatum jaceret. Non

pau-

* *Supra n. 4.** *Anno 1672.*

paucos partim domi, partim in Evangelicis excursionibus, ab hæresi & schismate revocarunt: adfuerunt militibus Polonis, ad oppidi arcisque præsidium collocatis: catholicorum denique tristes reliquias omni ope sublevarunt.

Inter præcipuas agri Piceni civitates merito censetur Firmum, Archiepiscopi sedes, ad oram maris Adriatici, haud procul Laureto. Non semel deliberaverant cives de collegio Societatis erigendo. Illos non parum excitavit P. Licinius Georgius, ex eadem oriundus urbe. Instigit vehementius Cardinalis Bandinus, Firmanus Archiepiscopus, & aliquot sacerdotes Societatis arcessivit anno MDCL. Patrum præsentia & utilis labor famam; fama desiderium auxit. Sed interpositâ civitatem inter & Archiepiscopum, cujus patrocinio maxime nitebamur, similitate, negotium refrixit, imo prope concidit. Creatis enim anno MDCVI. magistratibus, qui erant a Cardinali Bandino, & Societate alieniores, injectus est Patribus terror, ne publico decreto cum ignominia pellerentur. Præstabilius visum, si sponte & cum bona civitatis venia discederent; revocandi scilicet pacaris, quæ miscebant omnia, dissensionibus. Ita suadebant amici malè nobis amici. Discessum est trepidè ac præproperè, pridie Kal. Sextiles. Id ubi rescivit Cardinalis, enimvero indignè tulit, egitque cum Præposito Generali Societatis, ut Patres confestim redire juberentur in pristinam stationem. Redierunt, & P. Joannes Baptista Rugerius Dominici Adventus tempore, populo favente concionatus, sopitam ejus benevolentiam excitavit. Nec nihil valuit ad discutiendas suspitionum ac simulatam tenebras ortus novi fideris, Alexandri nempe Strozii, qui olim in Romano Seminario institutus, Ecclesiæ Firmanæ clavum acceperat. Ille collatis cum Cardinali Burghesio, Pauli V. nepote, Firmanæ civitatis gubernatore, consiliis, eò negotium perduxit, ut ad illud conficiendum nihil desideraretur præter publicum civitatis decretum. Subito à Societatis adversariis litteræ querelis, criminibus, precibus, gravidæ ad ipsum Summum Pontificem deferuntur. Obtrudi Societatem invitis, proponi conditiones iniquissimas, rem plane ad vim & seditionem spectare. Pontifex ad magistratum scribit * sibi non placere ut collegium erigatur invita civitate.

25.
Primordia
collegiorum
anni 1609.

Conturbati majorem in modum Strozius Archiepiscopus, Cardinalis Burghesius, aliique studiosi Societatis, hærebant incerti, atque anxii quid consilii caperent: sed P. Virgilius Ceparius, Firmum à Claudio Aquaviva missus ut rem componeret, confugiendum ad remedia majora censuit. Quare vocatis Patribus, expositoque periculo, votum B. Aloysio Gonzagæ fecit omnium nomine, ut rebus deploratis cœlesti adesset ope, quoniam humana præsidia deerant. Non incassum suas preces apparuit. Postridie invitatus ad prandium à magistratibus idem P. Ceparius mutatos, qui antea dissentiebant, confirmatos qui favebant Societati, reperit. Litteras publico sigillo munitas dant ad Cardinalem Burghesium, aliosque aulæ Romanæ principes, deliberatum civitati esse Societatem accipere; falsa Pontifici de Patribus fuisse perscripta; meras & iniquas esse privatorum querelas, nulla publicâ auctoritate nixas. Rogabant in calumniæ auctores ut quæreretur, ac tanquam boni publici hostes & patriæ proditores plecterentur. In eandem sententiam scripsere primarii cives ad Summum Pontificem: qui perlectis ejusmodi litteris, quæstionem haberi de obrectatoribus voluit, ab iisque poenas, ut quisque esset meritis, expeti. Societas accepta; gratiæ Deo solenni sacrificio palam actæ.

26.
B. Aloysii Gon-
zagæ patroci-
nium.

In Principatu Citeriore, quæ Neapolitani regni pars olim à Picentinis & Lucanis tenebatur, civitas est haud ignobilis, Castrum maris vocant indigenæ, propter arcem imminens mari; Stabias etiam appellant, propter vetus oppidum ejusdem nominis, cujus è ruderibus ac tumulo natum hoc memoratur. Ibi collegium Societatis inchoatum est Petri Joannis Nocerae pietate. Gravi oppressus morbo supplex opem Deiparæ imploravit, edito voto fundandi in patria sua collegii, si convalesceret. Factus est, impetrata valetudine, voti reus. Litteras continuo ad P. Claudium Aquavivam dat; quid flagitet, quidve offerat, exponit. Quosdam è Sociis concessit Præpositus Generalis, ejus liberalitate alendos Missionis nomine. Illi dum solita munia Societatis impigrè obeunt, venit in men-
tem

* 1. Martii 1609.

tem universæ civitati, multo majorem ex iis capi utilitatem posse, si propriam in urbe sedem, ac perpetuam nanciscerentur. Paucis diebus inventa est summa, quæ censum idoneum exleret. Addidit idem Nocera anno MDCXIV. domum commodiorem; templum suis sumptibus extruxit; neque contentus eo, collegium heredem ex asse testamento fecit. Similiter Melfitense, seu Molfetenfe, in Apulia, collegium Sylvestri Majoræ, illius Ecclesiæ Archipresbyteri, pietas condidit. Is Neapoli dum studiorum causa degeret, P. Alfonso Salmeronem, sæpe ac libens concionantem audiebat. Institutum quoque Societatis totum publicæ natum utilitati suspiciens, ita cogitare secum cœpit, si Deus opes annueret, fore ut eas in collegium ædificandum conferret. Annuit opes Deus, & reversus in patriam Sylvester animum serio ad collegii ædificandi consilium adjecit.

27.
Editum S. Ignatii beneficio miraculum.

Quia vero longior, pro civium votis, templi ædificatio videbatur, extructum est sacellum, opere subituario, in quod cum effigies S. Ignatii deportaretur magno apparatu, publica in eundem Sanctum pietas illustri miraculo commendata est. Mulier diuturno ac permolesto laborabat ægilôpe (morbus oculi est: fistulam vulgo vocant) in eoque curando medicorum ars omnis plane cæcutiebat. Accesserat ad ægilôpem tuberculum, instar nucis Ponticæ, in oculi angulo, quod nisi ferro & igne curari posse chirurgus negabat. Remedii acerbitate perterrita mulier ad sacellum accurrit; Ignatio facit vota, non abituram se contestans, nisi optata donatam sanitate. Cum id maxime oraret, oculos humi dejectos ac pane clausos, quia vix patientes lucis erant, attollit, aperitque. Nova lux oborta derepente affulsit; fistula, tuber, vestigia ipsa morbi, evanuerant. Exclamat; concurrunt qui pridie, qui ante paucas horas, fœde lippientem, & oculo prope captam conspexerant. Addidit prodigio fidem supervenientis medici gratus error. Nam professus palam id humanis viribus nequaquam adscribi posse, adstantique populo miraculum enarrans, non illum ostendebat oculum, à quo depulsus fuerat morbus, sed alterum, cui sua semper forma & valetudo consisteret: adeo reliquæ mali nullæ supererant! Falli tunc medicum fas ac dulce fuit.

Intestinis afflictum bellis infelix Belgium, & civili convulsulum tumultu, respiravit anno MDCIX. pactis inter Albertum Principem & Ordines fœderatos induciis. Peperit ista quies Societati duo collegia, Silvaducense & Ruremundanum. Silva Ducis, civitas Brabanticæ permunita, sedet ad fluvium Defam; olim amica Musis, dum sinebat pax; sed scholas arma prostraverant. Bonas artes re-duxerunt induciæ: exulesque Musas revocarunt. Gisbertus Masius, urbis antistes venientes Socios accepit ipse domi, tanquam filios pater; mox in ædes amplas & urbem mediam induxit. Doceri cœptum anno sequenti IV. Nonas Octobris. Habitatum in oppido annos viginti, nimirum usque ad MDCXXXIX. quo Henricus Princeps Auriacus urbem sæpe alias tentatam, feroci quinque mensium oppugnatione tandem expugnavit. Nostris exilium imperatum. At Ruremunda, quamvis & ipsa fœderatorum passa jugum, retinuit tamen Societatem, ac dominos denique alienos excussit. Est ea civitas Gueldricæ, ubi Rura fluvius in Mosam evolvitur, in ipso limite Leodiensis agri, & Juliacensis Ducatus. Regius quæstor Ido Grammaius, Societatis nostræ amantissimus, illi aditum in urbem jamdudum quærebat. Arcessit concionatorem è nostris, qui civium animos ita conciliavit, ut Societatem impense flagitarint. Episcopus Henricus Cuyckius Patres domi suæ tantisper habuit, donec ipsis ædes opportunas idem Grammaius, & Albertus Archidux, compararent. Cadomus, inferioris Normanniæ caput, inter præcipuas regni civitates meritò numeratur, tum propter vetustatem, elegantiam, & amplitudinem urbis; tum propter humanitatem, ingenium, pietatem, & eruditionem civium, apud quos Musæ in florentissima semper academia regnaverunt. Societatem inferre urbi constituerat Henricus IV. jam inde ab anno MDCIII. cum Octobri mense Cadomum venisset. Eo consilio datus ab eo fuit concionator per Quadragesimam P. Petrus Coronus, cujus eloquentia & comitate perfectum est, ut civitas conjunctis cum Universitate votis Societatem ex-peteret. Erat Robertus Menardierus abbas S. Columbæ, & Prior Sanctæ Barba-ræ in Algia. Is ad fundandum collegium, jure sui Prioratus ac possessione in gra-tiam

tiam Societatis cessit anno MDCVII. annuente Summo Pontifice Paulo V. Rex anno sequente gymnasium urbis, à Monte vulgo dictum, regia non ita pridem pecunia emptum à magistratibus, ac regii proinde juris ditionisque, Patribus donavit. Hinc Societatis collegium Regiomontanum est appellatum. Bibliothecam addidit Savignæus, Silvani eadem in urbe gymnasi præses, atque Abrincensis Ecclesiæ Decanus clarissimus. Demum Academia solenni decreto suum in corpus collegium Societatis cooptavit: cujus beneficii memor Societas quantum accepit ab Universitate nobilissima splendoris, tantumdem in eam refundere, semper studuit. Inita collegii Regiomontani possessio est pridie Kalend. Septembris anni MDCIX.

In urbibus Belgii locum insignem obtinet Namurcum, ampla & frequens civitas, ad Sabis & Mosæ confluentem sita, Episcopi sede nobilis, collegiis duobus Canonicorum, senatu provincie, commercio, & arce, quam ars & natura sic muniverunt, ut omnem expugnandi non modo spem, sed conatum etiam & consilium adimere videantur. Oppidis duodecim in orbem undique dispositis, veluti coronatur: cœli temperies, ubertas soli amœnitatesque præcipua. Cathedralis Ecclesiæ Canonicus Hercules Jamblynesus Societati, quam plerique civis expetebant, domum testamentis legaverat. In eam anno MDCX. venerunt missi Leodio Socii. Haud parum adjuvit ad augenda populi studia Patrum Franciscanorum auctoritas, qui Societatis causam egere non secus ac suam. Inducta est Nonis Octobris in quinque classes juvenus tam frequens, ut continuo laxanda fuerint angustiora concurrentibus discipulis spatia; nec ita multo post, favente Principe Carolo Egmondano, senatu obsecundante, prosequente omnium benevolentia & liberalitate, ingens & magnifica pristinis ædibus facta est accessio. Eodem anno Aquaviva B. Aloysii Gonzagæ caput collegio Castilionensi misit: donum tanto illi carius, quanto jucundior civibus memoriam Aloysii, sui olim Principis, virtus miraculis celebrari cœpta, faciebat. Adjuncta sunt huic dono quatuor Divorum corpora è cœmeterio Priscilla sumpta, ut ne incomitatus ad suos Aloysius rediret.

In ea parte Lugdunensis agri, quæ Foresium dicitur, & quam olim Segusiani tenuere, oppidum haud ignobile est Rhodumna, Ducatus caput. Suas ad collegium in hac urbe ponendum ædes donavit Jacobus Cotonus, Patris Petri Cotoni frater, ab ipso identidem admonitus, ut auctori bonorum omnium Deo, à quo se fortunis auctum haud modicis intellexeret, gratiam referre conaretur, & earum partem aliquam religioni, ac bonis artibus in patria fovendis impenderet: nihil acceptius Numini ab ipso fieri posse, nihil in quo publicis commodis serviret illustrius, vel etiam suis. Simulque plurima sacrificiorum millia commemorabat, quæ, fundato collegio, esset consecuturus. Hortatore Jacobus Cotonus non egebat, qui jam filium suum, Ignatium Cotonum, Deo ac Societati nostræ, in qua vitam paucis post annis piè clausit, obtulerat. Itaque non tantum ædes, quas dixi, Sociis concessit; verum etiam iisdem vectigal necessarium prolixè attribuit, ac templum à fundamentis erexit. Crevit subinde Sociorum numerus & scholarum: itaque justè collegii nomen Rhodumnenis domicilio datum fuit anno MDCXIV. Natalis idem annus MDCXI. exstitit collegiis Vesulano, Tifernati, & Afulano. Vesulum tribuitur Burgundiæ Sequanorum, quem liberum Comitatum vocant. De collocanda ibi Societate rationem inire cœperat jam inde ab anno MDXCI. primarius civis, regius in curia procurator; idque civibus suis persuadere studuerat, oblata fortunarum parte, quod exemplum ceteris & incitamentum esset. Dum res in longum ducitur, bellum à Gallis ortum est. Urbe capta, regius procurator, cum civitatis flore abductus, & grandi pretio redimere caput ac libertatem coactus, pristinum consilium si non abiecit, saltem in meliora tempora distulit: ac postea cum Alberto Austriaco egit ut collegii Vesulani negotium promoveretur. Alberti litteris excitati cives rem communibus votis composuerunt, & factum collegii felix initium est. Eiusdem Principis Alberti munificentia acceptam tulit Societas amplam & opportunam domum, Mechliniæ, in Brabantia. Hæc tirocinio destinata fuit. Flandrica Pro-

28.
Novæ sedes par-
tæ annis 1610.
& 1611.

bationis domus Tornaci steterat, ac deinde Antuerpiæ, ad eam usque diem. Ut vero Mechliniam transferretur suavit, præter loci opportunitatem ac salubritatem, inexpectata civium aliquot liberalitas, ac præsertim opulentæ matronæ, quæ villam haud contemnendam, & nonnihil numeratâ pecuniâ, testamento donaverat Societati, si intra annum Mechliniæ aut Lyræ sedem collocaret. Post exhaustas graves molestias, quas ambigua nonnullorum civium in Societatem voluntas, & commodi sui, quam publici, amantior excitaverat, initium collegii Tifernatis factum, Summi Pontificis jussu, cujus in ditione civitas est, & cujus auctoritate ac benevolentia stabilitum fuit vectigal annuum à civitate donatum. Scholas juventus lectissima, non tantum è finitimis locis, verum etiam è remotioribus Umbriæ & Hetruriæ urbibus affluens implevit. Tifernum quippe (cognomento Tiberinum, quia ripæ Tiberis affidet) urbs nobilis Umbriæ, & Episcopi sedes, limitem Hetruriæ ac Ducatus Urbinatis attingit. Asculum, civitas ejusdem Italiæ perantiqua, in Pontificia pariter ditione, olim totius Piceni caput, nunc quoque inter primarias illius tractus urbes insignem obtinet locum, & multis recentium ac veterum scriptorum laudibus celebratur*. Jam inde ab anno MDCV. expetivit Societatem, & collegium a Summo Pontifice postulavit. Inchoatum est anno MDCXI. absolutum MDCXII. perfecta, quam aliquot Socii, & populo universè, & juventuti nominatim asserere cœperant, utilitate. Porro, cum ad conficiendam dotem collegii necessariam, certa pecuniæ collatio urbi viritum esset indicta, omnino deprecari sunt ne quid oneris eam ob causam populo imponeretur: quæ res omnium animos mire illis conciliavit. Ea demum placet virtus, quæ minimum suis commodis, plurimum alienis studet. Sancti Venantii celebris ac vetus aedes collegio fuit attributa, cum insignibus reliquiis, ex ejusdem Sancti corpore, quod servant Camertes, decisis. Insulense in Belgio collegium numeris omnibus denique perfectum eodem anno fuit. Habitatio, scholæ, templum, hortus, area, omnia ampla, magnifica, regia: opus illustrissima civitatis & munus. Eo immigratum XV. Kal. Novembri. religiosâ & solenni pompa. Sacrosanctam Eucharistiam deferebat antistes, præbant cives cum vexillis; magistratus cum facibus. Sequebantur Ordines religiosi; tum parochi, cum clero suo singuli: demum nostrorum numerus sane magnus. Circumvectæ pariter sacræ reliquiarum thecæ, ornatissimis in tensis: plaudente inter festos lituorum & aris campani concentus pia & munifica civitate.

Pari studio & ordinum omnium gratulatione liberos suos in disciplinam Societatis tradidit Bambergæ, primaria civitas Franconici, ut vocant, Circuli: deliciæ S. Henrici Imperatoris, qui ejus Episcopum ceteris Germaniæ præsulibus præire voluit; & Sedi Apostolicæ soli obnoxium esse. Bavariæ Circulo accensetur Patavia, sive Passavia, ubi Danubius Oenum accipit: clara civitas Episcopi sede; mercium quas in omnem Germaniam exportat, copia; Imperii demum comitiis, in ea sæpe celebratis. Leopoldus Austriacus, Ferdinandi frater, coemit fundum, in quo perpetuum caput annuarum mercedum constitueretur, ad collegii Passaviensis vectigal: ac ne qua ministeriorum Societatis exercendorum fieret mora, suas, interim dum ædificatur collegium, aedes Sociis commodavit. Episcopus Plocensis, in Polonia majori, duos ferè per quadriennium secum habuerat, cum diœcesim obiret, Patres è collegio Pultoviensi; quorum altero ad conciones, altero ad excipiendas populi confessiones utebatur. Postea operavit ut è nostris aliqui, Missionis ritu, stabilem Ploci figerent sedem, & operam utilem urbi navarent. Plocum venerunt exeunte Septembri. Magnus ad sacras conciones populi concursus est factus, major ad familiarem doctrinæ morumque Christianorum explanationem. Erudiri quoque suos liberos cum cives enixè cuperent, illorum votis obsecundatum est.

Sora urbs olim Latii, ad Lirim fluvium; nunc Neapolitani regni Episcopatus est, in limite ditionis Ecclesiæ, & Aprutii ulterioris; gentis Boncompagne Ducatus. Huc ineunte Januario anni MDCXI. cum aliquot Socii à Ducissa Sorana fuissent acciti, operam suam paucis diebus ita civitati probaverunt, ut statim de Societatis domicilio deliberatum fuerit. Illud Serenissimæ Ducissæ curiis brevi

* *Lege vitam S. Emidii, Episcopi Asculani, scriptam Italicè, c. 8. 9. 10. & 11.*

brevi comparatum est. Ædes sacra elegantissimè instructa, Kalendis Novembr. patuit, ac literariæ paulo post exercitationes in lucem civitatis prolata. Augusta est Batava provincia domicilio Giennensi, quod in collegium paulo post adolescenti. Distat Granata Giennum leucis admodum duodecim versus Batim: urbs ampla & celebris, opimo Episcopatu gaudens. In eam Socii tanta omnium voluptate sunt accepti, quanta de illorum adventu fuerat expectatio: neque civium expectationem, quæ Dei benignitas fuit, fefellerunt.

Antonius Canopus, Archiepiscopus Arborensis, non contentus auxisse vestigalia collegii Saffaritani, in Sardinia, & amplissimas ædes, ubi litteraria munia obire Societas cum dignitate posset, sumptibus suis exstruxisse; præterea Seminarium, nuper à se fundatum, ejusdem curæ commisit; imbuendisque dedit litteris, ac virtutibus quæ pastores animarum decent, selectos adolescentes, unde sacerdotum bonorum copia, & parochorum aliquando proveniret. Adduci vix initio potuerat Aquaviva ut hanc Seminarii administrationem Saffaritani Socii susciperent: verum utilitate rei perpensa, præsulis optimi ac vigilantissimi votis cessit.

Idem Aquaviva novam Professorum domum anno MDCXII. Neapoli collocavit in foro maximo, & ima parte urbis. Opus à tenuibus initiis, ut magnæ quæque solent, crevit. Vergente jam ad finem anno superiori, religiosa nostrorum juvenum manus edisserere populo Fidei elementa cœperat, juxta forum maximum, in ædícula Deiparæ, quam, voce à Carmelo diminuta, Carminellum, vulgo nuncupant. Haud ita multo post duo ibi sodalitia sunt instituta: unum mercatorum & artificum; alterum puerorum. Eundem in locum multi è tota urbe consuebant, fiebatque ingens operæ pretium. Ergo viciniam omnem cupido incessit, propius ac veluti apud sese habendi Patres, quorum laborem adeo fructuosum sentiebat. Admonitus de populi studio Præpositus Societatis, moliri statuit alteram ibi Professorum domum. Assensit ultro civitas. Ædícula Carminelli obeundis Societatis ministeriis concessa est. Socii novam sedem IV. Idus Novembres iniere. Natam domum præ ceteris aluit cœtus nobilium, solitus collectam ad levandas egentium calamitates stipem in sacrum quoddam ararium conferre, quem Misericordiæ Montem dicunt. Visa est illis opera Societatis, & Institutum simillimum suo, quippe intentum ad sublevandas laborantium ærumnas, præsertim animarum; cum ipsi curam maximè corporum susciperent. Igitur collatis opibus augere nascentem familiam, & ornare certarunt; ut animabus pariter & corporibus consulendo, perfecta misericordiæ laus existeret. Dejectus in fundamenta lapis princeps anno MDCXIV. XIII. Kal. Febr. Templum quatuor Sanctorum Martyrum corporibus ex urbe missis Aquaviva decoravit. Hæc domus postea in collegium, imposito S. Ignatii nomine, conversa est.

Netinum in Sicilia collegium non procul distat à Pachino promontorio. Hujus collegii res familiaris maximè nitebatur nobilis prædii vestigialibus, quod ab oppido Sacculino, prædii capite, Sacculini Baroniam vocant. Hoc prædium fundator collegii Carolus Javantius, Buscelli Baro, testamenti tabulis Societati legaverat. Ea porro est conditio nobilium ejus generis feudorum (sic enim Gothico vocabulo jurisconsulti appellant) ut patronus fundi clientes ad militaria, & alia quædam munia per ipsosmet obeunda possit adigere: quæ quoniam à religiosis viris præstari nequeunt, periculum erat ne cogeretur aliquando Societas prædium illud vendere, & ejus possessione cedere. Jam quidem obtinere a Siculis Proregibus conata erat, ne ad ea munia præstanda compelli posset; nondum tamen ita constituta res habebatur, ut abesset omnis metus. Hoc demum anno, singulari Siciliæ Proregis beneficio, clientelaribus planè solutum legibus Sacculinum prædium, jure quam optimo, nobis habendum, auctoritate regia in perpetuum adjudicatum est. Ea res hoc magis accidit è sententia Societatis, quod agrum hunc perstrasse D. Paulus tradatur, cum ex insula Melita in Siciliam trajiceret. Puteus etiamnum salubres aquas præbet, quarum potu languentium quovis morbi genere hominum, pecorumque corpora persanantur. Ingens numerus donariorum ex arbore, ad puteum incumbente, pendentium aquæ vim haud dubiam ostendit.

29.
Fundata domicilia anno 1612.

* Num. 19.

Quinquennium totum Torunenses scholæ siluerant, hæreticorum armis disjectæ in eo tumultu, cujus facta mentio est Libro XIV. * Quum autem regnum de iis restituendis decretum intercessisset, nullum non lapidem moverunt qui eas omnino clausas optabant, quo docerent è publica re non esse ut restituerentur. Univerfa nobilitas nos vehementer incitabat, ut illas regis præsidio freti non dubitaremus instaurare, præsertim cum esset edicto cautum, propositâ poenâ capitali, ne quis voluntati regis obnunciaret; convenissentque in hanc de repenendo collegio sententiam ordines regni omnes, qui comitiis interfuerant. Tamen visum est Episcopi Torunensis, & præcipuorum Prussia senatorum mentem explorare: quibus omnibus assentientibus, ingenti alacritate præscriptus dies est, ad quem discipuli adessent, XV. Kal. Febr. Torunensibus hæreticis peracribus existit ille nuncius. Ac primo quidem Patrem, provinciæ præpositum, honesta legatione aggrediuntur; mox graves incutiunt minas. Ab hoc quia nihil extorqueri poterat, conferunt se ad antistitem Torunensem: deinde ad proceres Prussia, quasi ex iis scholis univerfæ genti certa perniciës immineret: denique oppidanos ad arma contra nos vocant. Cum nihil istorum succederet, ad ipsum Regis tribunal, ut ad sacram ancoram, confugerunt. Trium civitatum junctæ legationes, magno ambitu eam causam vincendam susceperunt, hoc maxime nomine, quod contra immunitates Torunensium scholas Societatis dicebant constitutas. Rex factiosorum exostulationem, ut impudentiæ & iniquitatis plenissimam, ne responso quidem dignatus est: imo unum è proceribus allegavit Torunum, civibusque præcepit ut homines Societatis, auctore se ac regni proceribus, omni studio complecterentur; faverent eorum ministeriis, omninoque persuasum haberent, se illorum injurias, ut suas, ulturum. His acceptis fremere feditiosi, ac negare porro se comitiis interfuturos, in Prussia paulo post habendis, nisi nostrum gymnasium clauderetur. At pervicaciæ damnati, & graviter increpiti, obire comitia omnino iussi sunt. Non dum tamen fracti contulere se ad novas artes; sed irritò conatu; & faventibus bonis, annuente caelo, collegium stetit. Non perinde fracta cessit Gedanensium pertinacia. Hæreticus senatus templi nostri fores pridem ocluserat. Regis edicto reserata fuerant. Quatuor vix menses concessò beneficio fruebamur; cum, ad Moscoviticam expeditionem profecto Rege, apparuit ad templi valvas senatus decretum: plebs aditu ædis, nos muniis nostris publicè usurpandis prohibiti sumus. Facinus indignè tulit Vladislaviensis Episcopus, in cujus diocesi Gedanum. Advolat, & pro potestate nos in antiqua jura restituit. Quievit paulisper hæretica vis, quoad ille præfens fuit: sed eo digresso, armatorum hominum statio ad templi fores posita, sacris publicis ceteraque munerum nostrorum functione nos arcuit, adjectis exilii minis. Quid agerent Socii, aut quo tandem pacto contra pertinaces & eliferatos contenderent? *Dandum ira locum* * sapienter putaverunt, & quam civibus non poterant impendere, ad externos finitimorum oppidorum incolas operam industriamque verterunt. Hæc damna sarfit nova Societatis sedes, Ravæ collocata, quod oppidum in majore Polonia Ravensi Palatinatus est caput. Ejus civis, Societatis sacerdos domum relictam à fratre germano suo, Ravensi pariter cive, demortuo Societati donavit: reliqua cives prolixè adjecerunt. Lomzam oppidum Lithuania, abhinc quadriennio excolere institueramus: domicilium nobis principes civitatis obtulerunt, & idonea vestigalia; justique collegii spes non inanis affulsit. Ratam spem annus MDCXIV. fecit, cura præsertim ac studio Camenecensis Episcopi. Cremsfirii plurimum debebat Cardinalis Dietrichsteinus, Olomucensis Episcopus, & è nostris nonnullos in suis ædibus alebat. Illis propriam ac peculiarem domum attribuit anno MDCXII. ubi ad Missiones, aliasque id genus expeditiones parata quatuor aut quinque Sociorum familia coaluit. Smolenscum Polonia rex, valida & assidua viginti mensium oppugnatione, de Moschis anno superiori receperat. Iis in castris quod strenua Sociorum opera esset usus, putavit è re totius præsidii militaris fore, si aliquot Socios earum copiarum procurandis animis Smolenski collocaret. Illis materia non defuit exercendæ industriæ, ad expurgandam Moscovitici schismatis luem, qua jam prope

* Rom. 12.

cente-

centesimum annum civitatem inficiebat. Unica olim Belgii provincia, in duas Flandrobelgicam, & Gallobelgicam eodem anno MDCXII. est dirempta. Partitionem hanc suavitatis urbium & collegiorum in feracissimo illo tractu multitudo; deinde morum, sermonis, & consuetudinum disparitas quædam. Nam è Belgis, qui ad Galliam magis accedunt illi Gallorum facilius induunt mores, quorum in ditionem etiam plerique transire: contra vero, qui Germaniæ limites attingunt, ad finitimorum quoque linguam & morem se libentius accommodant. Flandrobelgicæ attributa sunt domicilia quatuordecim, præter aliquot Missionum sedes: nempe collegium Lovaniense cum domo Probationis; collegia Antwerpenſe, Trajectense, Brugense, Ipreſe, Cortracense, Gandavense, Bruxellenſe, Vinocibergense, Silvaducente, Ruremundense, & tirocinium Mechlinienſe.

Gallobelgicæ provinciæ assignata sunt collegia Duacense, Audomarenſe, Tornacense, cum domo Probationis; Leodiense, Insulense, Montense, Dionanenſe, Valencenense, Atrebatense, Luxemburgense, Cameracense, Namurcense; Anglicanum Seminarium S. Audomari, & Sedes Watenaensis. Florebat utraque provincia lætissimæ juventutis numero, eruditione, probitate. Libet dare specimen ex uno Duacensi collegio, unde feri de ceteris, pro urbium proportionem, conjectura possit. Logica schola quadringentos auditores solebat erudire: quæ multitudo cum esset major, quàm ut ab uno magistro regeretur, dividenda hoc anno duas in scholas fuit. Ex illis philosophiæ auditoribus triginta septem Societati se addixerunt; Franciscanis sexdecim; Carthusianis duo; alii plerique aliis Ordinibus religiosi.

Quamvis Societatis nomen obscurare Parisiis invidia tentaret, nihil tamen aut è populi erga nos benevolentia, aut è pia multorum ad Societatem ornandam augendamque liberalitate decessit. Itaque cum nobilis matrona Magdalena *Luyſier*, vidua Claudii *Le Roux*, domini *de Sainte Beuve*, de fundando Lutetiæ tirocinio cogitaret, eamque ob causam anno MDCX. amplas aedes in suburbio Sancti Germani, non procul à templo S. Sulpicii, coemisset, summam operi feliciter inchoato manum imposuit Idibus Aprilis anni MDCXII. Porro licet partem haud exiguam haberet in hoc beneficio vir clarissimus Jacobus *du Tillet*, fundatoris tamen titulum recusavit, eumque Magdalene, amicæ suæ, tribui voluit; cui proinde fundati Parisiensis tirocinii nomen, ac diploma, cum solitis sacrificiorum suffragiis Præpositus Generalis detulit. In aliis Galliæ urbibus major in dies scholarum nostrarum celebritas ac splendor erat. In iis Socii Rothomagenſes numerarunt discipulos mille nongentos; Rhedonenſes duo millia: è scholis Avenionensibus quinque & quadraginta juvenes religiosa instituta sunt amplexi.

Per idem tempus cives Carolopolitani Societatem acceperunt. Carolopolis, oppidum Galliæ in Campania, conditum ad Mosam à Carolo Gonzaga, Duce Nivernensi, à conditore nomen traxit. Civitas longè pulcherrima, directis ad lineam, & in unam coeuntibus plateam, vicis; constructis è latere costili domibus, quarum eadem omnium facies, proceritas par; fastigia scætilibus cœrulei lapidis, quam ardosam vulgo vocant, laminis bellissimè cooperta. Soli amœnitas eximia, nec minor cœli salubritas: opportunitas verò commercii longè maxima, cum Belgii, Lotharingiæ, & Galliæ fines attingat: sed periculum depravandæ religionis ingens, ob viciniam Sedani, quam urbem tunc Hæresis, tanquam arcem, infederat. Ab hac Lerna cum pestiferos afflatus exitialis Hydræ Dux timeret, Societatem accessit. Lætati sumus datum esse nobis locum testificandi nostri erga illustrissimam domum, tam bene de Societate meritam, officii. Scholis initium datum Octobri mense: ac paucis diebus erepti errores nonnullis hæreticis, ad nostras conciones & amicam pugnam evocatis. Ita sunt enim plerique illorum comparati, ut ad veritatem amandam satis sit illam aspexisse. Id luculenter patuit in sectæ primipilo celebri, & gymnasi Francobergensis moderatore, qui Molseimum petens, nescio quo felici casu ad collegium divertit, ubi diligenter edoctus, atque insuper pietatis exercitationibus cum cura excultus, non sibi solum, sed alteri etiam salutem attulit. Is erat nobilis adolescens Pomeranus, gravissimis implicatus flagitiis, qui dum Argentoratum ad Lutheranum magistrum pro-

properaret, eo ipso die qui profectio dicitur, domum nostram obiter iustraturus, ut hospites solent, erat ingressus. Ibi, non sine Numine, incidit in illum hæreseos olim præconem, sibi notum. Ab eo nihil timens (quippe mutatum nesciebat) deducitur paulatim in sermonem de religione: cumque audiret multa de suis erroribus, quæ nunquam suspicatus fuerat, profectioe omiſſa, docendum se uberius permisit, hæresimque in æde nostra publicè detestatus, & per dies aliquot disciplina Christianæ pietatis eruditus, ad parentes rediit, moribus ita compositis, ut omnibus exemplo admirationique esset.

30.
Initium collegii ac domibus datum an. 1613. itemque 1614.

Hedinum, oppidum Artesiæ munitissimum, in limite Picardiæ, cum Societatem diu vocasset; Aquaviva litterarum magistros petenti dedit. Ariam, sive Æriam, in agro pariter Atrebatensi, Legiæ fluvio impositam, eodem anno MDCXIII. Societas adiit. In urbem Sancti Clementis, provinciæ Toletanæ, duo è nostris acciti à Conchenſi Episcopo & oppidanis, tam secundis auribus animisque sunt auditi, ut nulla interceſſerit mora, quin sedes illis certa stabilisque pareretur. At nobis nescientibus, & inexpectato beneficio suaviter affectis, natum est collegium Almonecidæ in Castella Nova. Doctor Joannes Scuderus, ejus urbis parochus, sæpius habuerat in animo conferre amplum patrimonium in aliquod opus, ex quo perpetuus in civitatem fructus redundaret. Omnia circumſpicienti nihil ad solidæ utilitatis perennitatem præstabilius occurrit, quàm collegium. Id secum reputans testamentum anno MDCVII. condidit, quod rarum, anno MDCXIII. moriens, & obſignatum, nemine conscio, reliquit: senatumque populumque testamenti curatores dixit. Eo publicè resignato, inventa est Societas heres ex asse, hac lege duntaxat ut collegium Almonecidæ poneret. Hoc vero mirum eo magis accidit, quod nulla peculiari nobiscum consuetudine junctus erat; imo se gravem & austerum potius, ne dicam alienum, præbebat, si quando datâ occasione Patres illuc diverterent. Ferunt eum consueviſſe, dum viveret, lectitare litteras de rebus Indicis, & præclaro, quem Divina bonitas ibi colligit è Sociorum laboribus, fructu: inde injectam illi mentem vocandæ Societatis. Magistratus rectorem collegii Complutensis de testamento admonuit; missique Socii hereditatem adierunt. Habere principio nonnullos è demortui propinquis non nimis benevolos. Quotus enim quisque pecuniæ jacturam, præsertim si rectè videbatur expectata, non gravatè fert? Verum Patres facilitate sua & modestia paulatim consecuti sunt, ut iisdem postea æquissimis & amicissimis uterentur: eaque civium omnium vox audiebatur. Nunc demum intelligimus nos omnes à Scudero heredes institutos fuisse, qui tantum boni ex ejus testamento capiamus. Joannes Christophorus Westerſtetterenus, Elvacensis olim antistes, cum insulas oppidi Eystadiensis anno MDCXII. accepisset, Societati domum in hac urbe dare decrevit. Est in Baviaræ finibus Eystadium, ad fluvium Alemannum, & in Franconiæ, ut appellant, Circulo: itemque Episcopi sedes, sub Archiepiscopo Moguntino. Ut rem conficeret, aliquos è nostris accivit, quorum è laboribus conjectura totius Societatis caperetur, & quibuscum de instituendo collegio per otium disereret. Nonnihil objectum fuit à Canonicis impedi- menti: sed hoc feliciter anno sequenti superatum est.

Georgius Drugethius natalium splendore non magis, quam religionis studio, inter Austriæ proceres conspicuus, quinquennium totum aliquot è nostris Homonæ habuerat, intentos catholicæ rei ornandæ augendæque: stabilem iisdem quæſivit anno MDCXIII. sedem. Vetus monasterium solo æquaverant Calvini affecta: sacram monasterii ædem superstitem, pecori stabulando addixerant. Hæc repurgata est, ædificiumque in cœnobii ruinis comparatum familiam Sociorum accepit. Non procul abest Græcio Leobium. Ibi posita domus Probationis anno MDCXIV. liberalitate potissimum Ferdinandi Archiducis Austrii, & Aemotensis Cœnobiarchæ; quorum ille suas ædes, hic propinquum templum tironibus attribuit. Pragenses scholas, à Julio mense ad anni superioris exitum, lues dira clauſerat. Solutum est incers ac triste justitium Kalendis Februariis, magno discipulorum concursu, velut erepti jacturam temporis sarcire cupientium. Præterea statis diebus conciones habitæ ad Bohemos, Italos, ac Germanos, propria singulorum

gulorum linguâ: & ad alumnos academiæ, Latinâ. Solennem Eucharistici fer-
culi triumphum Socii, quam apparatus omnium genere ornamentorum, dedu-
xerunt. Picta emblemata, scripta carmina, radiantes auro argentoque tabulæ,
pia grataque spectacula, pars fuere pompæ: Pars tamen potior, civium pietas,
quæ in omnium ore oculisque eminebat. Honorem Christo habitum soli Pikar-
ditæ & Calviniani, suam contumeliam interpretati, publicè privatimque ringe-
bantur, ejusque comœdiæ, ut vocabant, actoribus Jesuitis malam precabantur
crucem, & vero etiam machinabantur, id quod reipfa paucis post annis perfecerunt,
Sociis Pragâ, & magna Bohemiæ parte pulsîs. Non erant leviora illorum The-
schini, quod Silesiæ oppidum est, odia tum universè in catholicos, tum propriè
in Societatem. Huc tamen, rogatu Principis Theschinensis, venerunt Socii duo,
perpetuæ in oppido missionis, quæ temporaria fuerat, instituendæ gratia. Com-
mitate Patrum ac prudentia, delinuit sensim animi sunt; & quos ne audire qui-
dem aut intueri sustinebant, revereri atque amare cœperunt. Sic crepti molli-
ter haud invitis errores, & solum ad uberiores proventus *in patientia* *, sub-
actum est. Non videtur silentio prætereundum quod monumenta Brunensis do-
mus Probationis testantur, servari eadem in domo incorruptum corpus P. Tor-
rentini Gelderi, eodem anno MDCXIV. ibidem extincti. Magna sanctitatis
opinionem deceffit *, quam insignium virtutum exercitatione collegerat, pruden-
tiæ in gubernando, pietatis in precando: mortificationis, in religiosæ disciplina
rigore, quamvis atas affecta nonnihil adposceret indulgentiæ, retinendo: pa-
tientia in morbis acerrimis dissimulandis, vincendisque.

Paderbornensis antistes, academiam in Societatis collegio instituere medi-
tans, quæ disciplinarum omnium universitatem complecteretur, comparatis, qui-
bus doctrinarum dignitas efflorescit, ornamentis omnibus & privilegiis, anno
denique MDCXIV. feliciter quod moliebatur est auspiciatus *. Societatem
Pontificali collocavit Cardinalis Joyosæus. Sedet illud oppidum ad Ileram, sive
Oesiâ ripam, Lutetia non procul. Idem Cardinalis anno sequenti decedens lo-
cupletem bibliothecam legavit collegio Parisiensi: cor vero suum in templo col-
legii Avenionensis, qua in urbe diem obierat, condidit; corpus in Pontifarem
adem efferi jussit. Ne pacatam Elonoræ, in superiori Bearnia prope montes
Pyrenæos, stationem haberemus obstiterunt graves à Palensi senatu, nondum a Cal-
vini erroribus planè purgato, minæ & altercationes.

Duorum Principum pietas, & studium catholicæ religionis, duo fundavit ano-
no MDCXV. collegia: unum Enfishemi in Allatia, curis auspiciisque Maximilia-
ni Archiducis Austriae conditum: alterum Neoburgi, opera Principis Neobur-
genfis, qui Fidem catholicam hæresi deposita professus *, non aliud mutata in-
melius sententiæ illustrius documentum à se dari posse credidit, quàm si Societa-
tem in suam urbem vocaret. Solebant jam inde ab anno MDCIX. Socii iden-
tidem excurrere Novesium, quæ civitas assidet Rheno, infra Coloniam Agrip-
pinam. Fecit utilitas perspecta, ut Ferdinandus, Archiepiscopus Colonienfis cer-
tam, in urbe magni hoc in tractu nominis & momenti, sedem Societati posi-
tam optaret. Consciendæ rei opportunitatem præbere videbatur vacuum Fran-
ciscanis Patribus cœnobium, quos aliò gravem ob causam transmiserat. Ægrè
adducta Societas est, ut in monasterii possessionem veniret, ne religiosum Ordinem,
veteri sibi caritate conjunctum, depulsi videretur; quod, in tanta nobis obtre-
ctandi facultate, non poterat non esse invidiosum. Cedendum tamen fuit Prin-
cipi optimo, invidiam omnem in se recipienti. Quare XVII. Kal. Apriles anni
MDCXV. locus Societati rite ac legitime traditus; sed reliqua tam moventia,
quàm soli, bona Franciscanis relicta. Ad eundem fere modum, accitu Leo-
poldi, Episcopi Argentoratensis, inducta Societas est Scelestadium, urbem facile
in primariis Alfatia urbibus numerandam. In ea vetus & nobile beneficium Ec-
clesiasticum fuit (Præposituram Sanctæ Fidis nuncupabant.) Præpositus dicebatur
Sacellanus Imperii, tantaque pollebat auctoritate, ut æquato cum Imperatoribus
jure, annum magistratum urbi alternis præficeret. Lapsis paulatim in vitium
moribus, dignitas ipsa exolevit; distracti proventus, & imminuti; jamque de
tanto

* Luc. 8.

* An. et. 70. men-
se Jan.

* Vide Bullam
Pauli V. Tomo
III. Bullarii nu.
84. pag. 317.

31.
Domicilia, quo-
rum ortus inci-
dit in annum
1615.

* Vide lib. XVII.
num. 70.

tanto splendore, opimisq; latifundiis, quibus olim fundata erat Præpositura, vix quidquam, præter nomen ac bustum inane, supererat; cui tamen inhiabant hæretici. Sed Leopoldus eorum postulatis acriter obnitens, & æquum ratus ut ad præsidium religionis catholicae rediret, quod ab ea profectum olim erat, Ecclesiastici beneficii reliquias Societati assignandas curavit. Tyrnavia pariter cœnobium erat S. Joannis Baptistæ, quod olim Dominicani, ac subinde illis extinctis, sacra ejusdem instituti Virgines obtinuerant. Iis quoque magnam partem morte sublatis, Cæsar, annuente Pontifice, reliquas in diversa monasteria distribuit, ac Francisco Forgatzio Strigoniensi Archiepiscopo mandavit, ut eò Societatem quamprimum inferret. Addidit litteras ad senatores, quos hortabatur ut novos animarum colonos in urbem, & clientelam suam, acciperent. Non egebat Archiepiscopus hoc stimulo, Societati addictissimus, in quam ut cooptaretur exire petierat, etiam post acceptum Ecclesiæ Strigoniensis pastorale pedum. Sed Patres sapienter existimaverant futurum ut plus lucis & emolumenti Pannonia, atque adeo toti Ecclesiæ, afferret *postius super candelabrum* * amplissimi muneris, quam si *sub modio* religiosæ humilitatis delitesceret. Ipse noster animo & voluntate semper mansit, ac Cæsaris mandato latus, magno præfulum & nobilitatis comitatu Kalendis Octobr. in Tyrnaviense cœnobium se contulit, in ejusque possessionem Socios, summa civitatis approbatione, misit.

* Matth. 5.

Temporaria sedes ad expeditionem aliquot mensium constituta est Holecoviæ, in Moraviæ finibus. Erat ea civitas in ditone Ladislai Popellii Sabrovitzi, universa per Moraviam militiæ præfecti. Quinquagesimum jam annum inde Fidei veritas exulabat. Excepta duntaxat arce nullus exercenda Romanae religioni angulus intra mœnia patebat. Cives diuturna consuetudine obfirmatos inperovicacia reddebat audaciores errorum præco & minister, totius regionis disertissimus. Accidit sub idem tempus ut ad audiendam majoris momenti concionem quandam populum invitaret. Concurrit undique multitudo. Cunctantem diutius concionatorem frequens & selectus auditor anxie expectabat. Admirati moras amici domum ejus trepide perunt. Pulsatis semel iterumque foribus, nemine intus respondente, scandunt per fenestram, & conclave ingressi, è trabe suspensum infelici laqueo, reperiunt. Nullus infandæ necis auctor deprehensus, præter ipsum. Quo nuncio perculsa factio hæretica dirigit. At catholicus dynastes, qui dudum in votis, nec perinde tamen in promptu habuerat hunc hostem veritatis acerrimum è statione dejicere, postquam è medio sublatus vidit, arripuit occasionem restituendæ religionis. Ergo sacerdotes aliquot Societatis velut alios in usus arcessit; producit in concionem; ac demum, ubi populum illis audiendis assuevisse sensit, templum ipsis palam attribuit.

32.

Societatis memor & gratus animus erga fundatores collegiorum, & alios optimè de ipsa meritos.

Optatissimum nobis esset appellare singillatim, & merita laude prosequi, tot collegiorum ac domorum illustrissimos fundatores, si sineret quam necessario consecramur, brevis: & erit illud aliquando fortasse tempus, cum provincia quælibet Societatis propriam ac peculiarem rerum suarum & domiciliorum historiam conscribet, id quod nonnulla jam præstiterunt: ubi hæc omnia fusc ac minutatim exponentur, & unde poterit emendari ac suppleri si quid in exponentis collegiorum natalibus, locis, nominibus ipsis, erratum est; ut proclive factum fuit in tanta regionum varietate ac longinquitate. Illud interim possumus affirmare, antiquissimum semper fuisse conditori Societatis, ut gratum ac memorem animum erga bene de nobis meritos testaretur. Singulis annis, in eorum communiter gratiam, amplius centum & septuaginta sacrificiorum millia Deo, bonorum omnium fonti primario, Societas offert, & coronarum B. Virginis centum millia, ut minimum. Privatim vero, ut quisque beneficium aliquod cupiam è domibus nostris confert, statim, pro doni magnitudine, multa sacrificiorum millia, & alia preces pensitantur. Collegiorum præterea fundatoribus nominatim triginta Missarum millia, & rosariorum Deiparæ viginti millia vivis persolvuntur; totidem mortuis: idque in singula quæ fundaverint domicilia; adeo ut si duo collegia domosve fundaverint, centum viginti millibus Missarum gaudeant, & octoginta millibus rosariorum. Demum è quadringentis octoginta millibus Missarum,

farum, quæ ad mentem Præpositi Generalis in tota Societate quotannis celebrantur, non minima pars in eos refunditur, qui Societatem beneficiis obstrinxerint. Ea mens Sancti Ignatii fuit, ea liberalis & grati pectoris amplitudo, ut, cum accipi stipendium à nobis pro divino sacrificio vetaret, cœlestem hostiam prodesse mortalibus, ac præsertim de Societate præclare meritis, voluerit; tanto splendidius generis humani commodis serviens, quanto minus consulebat suis. Eorundem sacrificiorum partem non exiguam idem B. Pater assignavit juvandis nationibus exteris & barbaris, quarum in sterili solo, Fides per Societatem fata, difficile colitur, & inter superstitionis tribulos ac vitiorum spinas ægerrimè comprehendit. In earum præ ceteris numerum venire merito possunt Canada & Cocinina, in quas extremo tempore Claudii Aquavivæ Religionem Societas invexit.

AMERICAM septentrionalem tres præcipuè nationes obtinent, Hispani, Galli, & Angli. Mexicum, Florida pars & California, sunt Hispanæ ditionis. Littora orienti soli opposita & ad Austrum deversa occupant variis temporibus Angli, Sueci, & Hollandi. Quod inter illos & Mexicanos versus septentriones & occasum campi jacet, Galli tenent, ac Novam Franciam, sive Canadam, vulgo vocant. Nihil terribius immaniusve barbaris Canadensibus fingi poterat, prius quam inducta religione mitescerent, ut patebit ex iis quæ Paragrapho decimo referentur. Nunc barbaries, & fœda scelerum cohors, rationi ac virtuti locum dedit, videturque huic oraculo * veteri constare fides: *Lacabitur deserta & invidia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.*

Americæ littora, Franciæ obversa, Galli jam inde ab anno MDXXIV. identidem lustraverunt: sed obiter, & quasi prætereuntes. Demum superiori seculo ineunte, regionem interiorem subiit Samuel Camplenus, qui Canadensis coloniae parens merito dici potest. Jamque negotiatio bellissimè procedebat, cum Henricus IV. de religione magis, quàm de commercio sollicitus, in hanc Orbis novi partem inferre Christiana sacra decrevit, anno MDCVIII. ac Societatis homines ad hanc Apostolicam expeditionem postulavit. Certior de consilio Regis factus P. Petrus Cotonus, regiæ conscientiae moderator, jussusque strenuos quamprimum designare sacerdotes, qui solida tanti operis jacerent fundamenta, Societatis Præpositum admonuit. Ex omni, non juvenum modo, sed etiam senum numero, laboriosam Missionem flagitantium, delecti sunt P. Petrus Biardus, Gratianopolitanus, theologiæ professor in collegio Lugdunensi; & P. Enemündus Massæus, Lugdunensis. Moram consiliis felicibus attulit Regis improvisa mors; & Societatis amicorum studia, qui navem & reliqua itineri necessaria comparabant, debilitavit. Sed invicta rebus adversis Cotoni pietas, Regiæ auctoritatem interposuit, ut difficultates objectas profigaret. Ergo indicitur profectio: Patres Deppam advolant, inde vela Novam in Franciam facturi. Ecce autem repenti inexpectatus obex. Ea navis erat Potrincurtii, nobilis Galli: duobus tamen mercatoribus Calvinianis obnoxia, utpote qui sumptus non leves ad illam armamentis instruendam fecerant. Isti simul atque imponendos in hanc homines Societatis audierunt, negant enimvero se passuros ut è portu solvat. Opponitur imperium Regiæ, mandata ingeminantur. Respondent per se non stare quin sacerdotes alii quilibet admittantur; at sibi cum nostris hominibus nihil esse rei velle. Ubi vidit Cotonus improborum pertinaciam frangi non posse, alia rem aggressus est via. Erat matrona non pietate minus quàm genere nobilis, Antonia Guerchevillæ. Hæc negotium Missionis haud fecus procurabat, ac suum: utque non vulgarem apud multos gratiam, virtutis opinione collegerat, magnam subito pecuniæ vim corrogavit, qua mercatoribus hæreticis summa rependeretur, ab iis in adornandam navim contributa. Sic illis rejectis & invitis, Patres admissi fuerunt. At, quia interim extractum tempus fuerat, non ante VII. Kalend. Februariæ, cum hyemaret asperum æquor, vela sunt facta. Hinc mensium quatuor cursus fuit, qui vulgo duorum est; ac morbis intus, tempestatibus foris, infestus. Ingressi demum ostia Laurentiani fluvii XI. Kal. Junias, ipso sacro Pentecostes die, vestigia Christianæ religionis aliqua invenere, leviter ab iis quos è Gallia profectos in hanc plagam diximus, impressa. Cum enim illis ignotus

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

S f

gen-

§. II.

SOCIETAS JESU,
IN CANADAM,
SEU NOVAM
FRANCIAM IN-
DUCTA.

* Ipsi. c. 35.

33.

Initium Cana-
dicæ Missionis,
& primi fructus.

gentis sermo, nec certum constansque in humo barbarâ domicilium esset, facultas non suppetebat erudiendi quos obiter baptizabant: quique pristinos in mores revoluti, Christianum vix retinebant nomen, illudque popularibus vitiiis conspurcabant. Prima Patribus cura fuit ut sacellum construerent, perdiscerent linguam vernaculam, excolerent Gallos, qui è veteri Francia in novam navigaverant. Instituta est solennis supplicatio; Christus sanctissimi Sacramenti velotectus, & quanto fieri potuit maximo apparatu circumvectus, in terrâ felicis, tot sanctis postea frequentandæ, veluti possessionem auspiciò venit. Proxima infantibus sacro lavandis fonte cura est data, quorum nonnulli, post susceptum salutis sacramentum, ad terram viventium possidendam, quasi gentis totius nomine, demigrarunt. Puellam annos natam novem, oppressam gravi morbo, parentes abjecerant. Cum enim artis medicæ prorsus ignara natio sit, agrotos facile desperat, neque cibo, aut curatione ulla, juvat. Depositam Patres à parentibus postularunt, ut expiarent lymphâ salutari. Ultra illis permessa est, quippe quæ instar mortui canis haberetur. Abductam in mapale separatim curavere sedulo: edoctam, quantum erat necesse; baptizatam, ac nona post luce mortuam, celo intulerunt. Eadem Sociorum caritas lætiorum exitum in juvene sortita est. Ejus pater Membertous, primus omnium, uti narrant, barbarorum, cum è Gallia navigatum illuc fuit, in Christianorum numerum venerat; homo strenuus, & omnium popularium testimonio, ceteris longè præstans animi robore, belli scientia, clientelarum multitudine, & gloriosi claritudine cognominis; quippe Magni Imperatoris titulum publico suffragio consecutus. Hunc obtinebat locum Membertous inter Souriquios, qui Acadiam, circa ostia Laurentiani amnis, incolunt. Ejus filium difficili ægritudine conflictatum P. Biardus invisit, Miratur nihil triste in tugurio; non plañctum, non flebiles naniæ: imo epulum, choream, & duos tresve canes alligatos. Querit quid hæc sibi velint. Respondent juvenem brevi esse moriturum, amicos vocatos: illis epulum parari: funebrem choream postea ducendam: canes, quos videbat, interficiendos, placandis mortui Manibus. Exclamavit Pater nequaquam ista Christianis hominibus convenire, & impias consuetudines graviter increpuit. Senior, adolescentis parens, ignorantiam excusavit; ceterum se ac filium in ipsius esse potestate; doceret, juberet, imperata facturos. Sacerdos vetuit ne canes interficerentur: saltatores importunos amandavit; epuli partem, quæ superstitionis habere nihil videbatur, permisit: in primis autem, ne deponeretur penitus ægroti cura prohibuit; imo suavit ut ad Gallorum domicilia, quamvis longè disjuncta, deportaretur; sperare se, favente Deo, futurum ut convalesceret. Benignè auditus est à Membertoo: delatus æger ad nos fuit, ridentibus, ac bolum tantum tam subito è faucibus ereptum sibi dolentibus veneficis, & circulatoribus, quorum sententiâ conclamatus adolescens vivere posse negabatur. Ac sane agebat animam, cum triduo post ad Gallorum domicilia pervenit, fractus itinere ac morbo. Patrum tamen arte ac studio, & scilicet Dei benignitate, recreatus est; nec ipse tantum in fide catholica confirmatus, sed ejus capeßendæ desiderio complures inflammati.

Incidit aliquanto post in morbum pater adolescentis, & ad nos similiter deferri voluit, ubi nostrum in tugurium, atque adeo in unius è Patribus lectum acceptus, piè vitam clausit; quodque barbaris novum accidit ac molestum, illatus est in commune Christianæ plebi sepulcrum: nam ipsi a sepulcris majorum ægerrime divelluntur. Curatum funus illustri, ut rerum ferebant angustiæ, pompa. Nec honore isto qualicumque indigna barbari virtus erat, qui etiam antequam Christum nosset, non potuerat adduci ut plures una duceret uxores: id naturæ ac rationi magis consentaneum arbitratus. Post susceptam vero Christi fidem ita vixerat, ut barbaris admirationi esset, Christianis exemplo.

Hæc domi gesta. Egressi deinde quasi pomerio præcones Evangelici magnam regionis partem lustravere. Divina res, ubicumque licuit, facta: impositæ manus ægrotis, conciliati munusculis parentes ac liberi; data Gallis, novas condentibus sedes, opera; necnon classariis atque vectoribus. Non defuit patientia lata seges, ac tanta interdum existit annonæ penuria, ut singulis hebdomadis certum

tum unicuique demensum daretur, quod vix sufficiebat in unum diem, videlicet panis uncia decem, selibra carnis sale macerata, & pisorum, fabarumve aliquantum. Adhæc, erat sibi quisque faber, sarcinator, pistor, coquus, lignator, & aquator. Occurrebant interdum Patribus, in his ærumnis, voces illorum, quibus Moses provinciam explorandæ Chananitidis dederat *, *Terra hæc devorat habitatores suos; ibi vidimus monstra quadam filiorum Enac, de genere Giganteo, quibus comparati, quasi locusta videbamur.* At simul veniebat in mentem oratio Josue, & Calebi, plena divinæ fiduciæ: *Terra valde bona est. Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam. Neque timeatis populum terræ hujus, Dominus nobiscum est.*

* Num. c. 13. 14.

Et esse cum servis suis, ac militibus Dominum, exitus comprobavit. Nam hoc anno MDCCIII. incunte, cum hæc scribimus, præter Quebecense collegium, numerantur in hac *terra deserta* prius & *inovia* triginta & amplius florentissimæ cultissimæque Missiones nostræ Societatis. Prima in conspectu Quebeci, decimo ab urbe lapide, Laurentana dicitur. Altera in pago Tadussaco sedet; ad ripam fluvii Laurentiani, leucis infra Quebecum LX. versus ortum. Tres aliæ supra Quebecum ipsum, longe procurunt in Boream, circa lacum S. Joannis: una in eo loco, qui à septem insulis nomen habet; altera, in pago Chigoutimino; tertia, fecus amnem Saguenæum. Excoluntur ibi Montagnæi, Papinachii, Mistassini, & aliæ passim gentes errabundæ. Jam, si versus obeuntis solis partes & fluminis Laurentiani fontem tendas, occurret in ejus ripâ septentrionali pagus Trium fluminum dictus, quia ibi tria quædam flumina confluunt: abest Quebeco septem octove dierum iter. Florebat illic Algonkinorum Missio longe pulcherrima, sed hanc vinum igne vaporatum & stillatum, à mercatoribus Europæis, facilem inde quæstum male captantibus inventum, vehementer labefactavit induta ebrietate. Pensat hæc damna virtus ac pietas Abnakiforum. Triplex apud illos statio collocata: una Quebeco non procul, in XLVI. gradu latitudinis, nomine S. Francisci Salesii & patrocinio insignita: aliæ duæ sunt remotiores; loco nomen est Nipissikouit. Trans amnem Laurentianum ad Meridiem funduntur Iroquoarum quinque nationes. Septem sunt apud illos præconum Evangelii domicilia, per centum quinquaginta leucas sparsa. Ex iis sex profligata fuerant bello Gallos inter & Iroquæos confiato circa annum MDCLXXXII. Revocata cum religione pax anno MDCCII. omnia priorem in statum restituit. In iis Iroquoarum Missionibus ea præcipuè floret, quæ à S. Francisco Xaverio nomen habet, ad Montem-Regalem.

34.
Domicilia Societatis & Missiones in Nova Francia.

Supra Iroquæos, versus occasum & Aquilonem, intra quadragesimum gradum & XLV. cernere est duos lacus angusto freto junctos: alter, isque amplior, Ilinæorum; alter Huronum dicitur. Hos ingens terræ lingua dividit, cujus in apice sedet Missio S. Ignatii, sive Missio Maximacana. Supra duos istos lacus tertius est, ambobus major, quem superiorem lacum appellant. Hujus in aditu constituta est Missio S. Mariæ à Salto. Interjectum inter hunc, & binos inferiores lacus spatium occupant Outaouaki, apud quos plurima stativa Societas habet. Ejusmodi arces religionis (sic enim appellare Missiones licet) unde suos profert milites, & sacra explicat vexilla, tres circa lacum Ilinæorum positæ sunt, prima inter Puteatamisos; Missio Sancti Josephi nuncupatur: altera inter Kikaroufos, Maskoutensos, & Outagamisos; S. Francisci Xaverii nomen obtinet: tertia inter Oumiamisos, Angeli Custodis. Infra memoratos lacus, supra ipsam Floridam, vastissimos pererrant campos Ilinæi. Ibi amplissima statio, cui nomen ab immaculata Virginis Matris conceptione impositum, tres in Missiones secatur, & ad fluvium usque Mississipum procurrit. Insidet ejusdem fluminis ripis missio Baiogulana, in trigesimo primo gradu latitudinis: demum ultima protenditur secundum eundem amnem versus Mexicanum sinum. Hæc visum est enucleare paulo distinctius, & quasi sub uno statim aspectu ponere, ut intelligatur quò singula referenda sint, quæ postea de Nova Francia narrabuntur.

Restat ignota Europæis adhuc pars Canadæ immensa, ultra Mississipum fluvium, clementiori subjecta cælo, frequens incolis, armentis frugibusque læta; vitæ veræ ac salutis experta. Hæc generosos Christi milites vocat. Nec non altera

tera longe isti dissimilis, quæ rigidis circa Hudsonium sinum, à gradu LV. ad LX. aut LXX. subiecta septentrionibus, nivibus ac pruinis demersa, tanto æquius implorat opem, quanto gravioribus incommodis conficitur. Hic Societas ante annos paucos prima cœpit figere vestigia. Illucescet illa, spero, dies, cum obvallatum periculis ac laboribus iter eadem perumpet. Non sine magno molimine claustra Tartari, oppressas injusta servitute animas retinentis, perfringuntur; neque illa ipsa, tqt̄ florens modo coloniis, Missio Canadica statim suam est maturitatem adepta. Ægrè per sexdecim annos tanquam in salebris hæsit, nec suam quandam nata formam est, nisi anno seculi superioris quinto & vigeimo, cum se aliquando ex illis angustiis explicuit, P. Petri Coroni, cui sua debebat primordia, beneficio, ut sexta Pars Historiæ fusus exponet. Nunc arumarum ac periculorum plenos natales referimus laboriosæ Missionis, quæ vix nata, in ipsis cunis per Anglos propemodum extincta est.

35.
Missio Canadensis ab Anglis proturbata.

Socii illic degentibus venerant auxilio Iduibus Maii anni MDCXIII. Pater Quintinus, & Frater Gilbertus Thetus, regio diplomate instructi, quo facultas ipsis dabatur novi domicilii commodo loco ædificandi. Gallos reperiunt incumbentes in condendam urbem, & periculi, quod instabat, ignaros. Angli paucis ante annis occupaverant Virginiam. Hæc America septentrionalis ad ortum portio maritima, inter Floridam Novamque Franciam sita, tricesimo sexto, septimo, & octavo gradibus subternitur. Eò cum tenderent Angli æstivis anni MDCXIII. mensibus, & inscii locorum errarent, ob exortam caliginem, quæ huic mari densissima solet per eos menses incubare, paulatim delapsi sunt ad litus, ubi Galli confederant, haud procul portu Sancti Salvatoris. Postquam cognoverunt Gallicas naves ibi consistere, arma expediunt, & in portum invehuntur. Interea Galli accipiti opinione suspensi, amicos an hostes censerent, quos recta in suam stationem ventus inferebat, eventum trepidi opperiebantur. Brevi, quinam essent patuit. Angli factò impetu in Gallicum navigium, paucis instructum propugnatoribus, ceteris ad condenda domicilia digressis, id nullo negotio expugnant.

36.
Unus è Societate interficitur, alii Canada eji-
ciuntur.

Primo in conspectu Gilbertus Thetus, domesticæ rei adiutor è Societate, confossus lethali plaga, postridie religiosa morte occubuit. Ceteri Patres qui stabant in littore, in potestatem Argalli, prætoris Angli, venerunt. Ille, dum Gallicæ navis prædam & suppellectilem recenset, subduxit clam è Saussæi, navis Gallicæ gubernatoris, qui huic expeditioni præerat, scrinio regium diploma, cujus fide tota novæ coloniæ ratio nitebatur. Mox ipsum Saussæium è littore subeuntem adortus, quærit ex eo quo jure, cujus auctoritate, novas tam prope Virginiam sedes moliantur. Laudavit Saussæius regium diploma, quod se in capsis rite conscriptum habere dixit. Ad eas ubi ventum est, vidit integras, & obseratas, suisque omnia digesta locis agnovit, diploma nullum apparuit. Tum Argallus, vultu & voce ad severitatem compositis, fugitivos & prædones conclamat, ac necem commeruisse pronunciat, simulque navim suis diripiendam tradit. Illum interea Patres obsecrant ut victis benignè consulat, quibus objici nihil noxæ possit aliud, quàm quod in peccato solo fuerint nimium securi: auctoritatem Regis Gallia non dubiam ac voluntatem testantur. Prætor probè sibi conscius vera narrari, comiter eos audivit, & omnibus potestatem in Galliam redeundi fecit. Duas in naviculas infelix turba imponitur, quarum una cursum in Galliam rectà dirigeret; altera cum aliquot Anglis solveret in Virginiam, inde Franciam petitura. Hanc PP. Biardus & Quintinus, illam P. Massæus, & Saussæius conscenderunt. Utriusque fors longè dispar fuit. Quæ Saussæium & P. Massæum vehebat dum oram maritimam legit, annonâ, nautis, armamentis destituta, incidit in geminas naves reditum in Galliam adornantes. Jungit se illis læta, cumque suis vectoribus Maclovium, Britanniaæ Aremoricae oppidum, paucis diebus tenuit.

Interim Argallus, classis Anglicaæ præfectus, Patres Biardum & Quintinum deducturus in Virginiam, ut constitutum fuerat, paululum iis præivit cum sua navi prætoria, Virginiam obtinebat Anglus ferox, nomini Gallico, ac Societati no-

stræ

stræ perinensus . Ubi adventare Jesuitas audivit , vociferatur perdendos homines improbiſſimos , buſta pietatis ac religionis . Argallus contra nitebatur , ſequivo nihil moleſtiæ damnive Paribus inferendum affirmabat : hanc enim ipſis dederat fidem ; & regium diploma , cujus auctoritate colonia Gallica in Novam Franciam deducebatur , protulit . Hoc diplomate inſtammatus homo furioſus , exturbandos è Nova Francia Gallos clamat . In hanc ſententiam Angli proceres iverunt . Jubetur Argallus viam remetiri ; Gallos , quicumque ſuperſeſſent , ejicere , domicilia evertere , & æquare ſolo . Rediit : arces in ora Canadenſi extructas incendit , omnia deletit , ac naves duas in Regio Portu deprehenſas , invaſit .

Dum hæc in Canada geruntur , naves Anglicæ , præeuntem Argallum ſecutæ , aliæ procul à Virginia ventorum vi abreptæ ; aliæ undis hauſtæ ſunt . Una , cui Turnellus Anglus præerat , & qua Patres Quintinus ac Biardus vehabantur , continentibus ſexdecim dierum procellis vexata , in Azores , Luſitanorum ad Africa littus infulas , celerrimè deſertur . Hic vero novum exoritur periculum . Turnellus poenam metuens , quòd Societatis ſacerdotes per ſummam immanitatem domicilio avulſos ſpoliatoſque ſecum traheret , indigniſque habuiſſet modis , de illorum nece agitare conſilia cœpit . Satius denique illi viſum ad eorum clementiam & humanitatem , quam in graviſſimis injuriis perſpexerat , conſugere . Operam tamen dedit , ne intraret portum ; ſed ſtante in ancoris navigio , neceſſariam annonam immiſſâ ſcaphâ pararet . Contra quàm ſperaverat accidit . Secundo enim vento impuſſus , portum quamlibet invitus reluſtansque ſubiit . Noſtri de illo , quamvis non ita merito , ne verbum quidem ullum , quo accuſaretur , interpoſuere : lati quod hoſtem ita ſervaveſſent . Agnovit beneficium gubernator Anglus ; ac deinceps ſæpenumero cum ſumma Patrum laude prædicavit . Id vero multo fecit impenſius , cum tempeſtate ad Angliæ urbem Penbrochium projectus , ejus oppidi magiſtratibus movit ſuſpicionem maritimi latronis , quòd & Franciâ veheretur navi , neque ſcriptam auctoritatem proferret , qua ſuam navigationem tueretur . Aſſeveranti ſe à prætoris ſuo Argallo tempeſtate divuſſum , fides non habebatur . In tanto discrimine ſacerdotes duos Societatis teſtes citavit , quos haberet in navi , & quorum incorrupta fides nemini venire poſſet in dubium . Cum Patres interrogati rem ita ſe habere confirmaveſſent , periculo liberatus eſt . Reddidit quam debebat illorum humanitati vicem ; utque ipſis non ſolum eſſet impune , ſed etiam ut à magiſtratu honor haberetur , curavit . Certior interim factus Regis Chriſtianiſſimi orator de Patrum navigatione difficili , & in Angliam adventu , egit cum Angliæ Rege de remittendis illis in Galliam . Quo annuente , Ambianum decimo , quàm fuerant capti , menſe ad Socios lati ſociosque pervenerunt . Quemadmodum colonia Gallica fuerit in Novam Franciam reſtituta cum Societate , narrabitur Parte VI. Hiſtoriæ .

BIENNIO poſt expulſos Canada Patres inducã fuit Societas in Cocincinam , anno MDCXV. Ea regio pars olim erat , ut perhibent , imperii Sinenſis , uti & ipſum Tunkinum . Ambo enim hæc regna Sinam attingunt ab occaſu & meridie . Ipla Cocincina porrigitur infra Tunkinum ab undecimo gradu latitudinis , ut geographi loquuntur , ſeptentrionalis ad decimum & nonum . De ſitu regionis & incolarum moribus narrandi commodior locus erit ad hujus Libri XV. calcem , S. XI. ne nos longiùs diverticulum , quamvis amœniſſimum , abducat . Ante annos admodum quinquaginta ſacerdotes duo ex Ordine S. Auguſtini , itemque unus Franciſcanus , Macao in Cocincinam proſecti , aliquot indigenas Chriſtianiæ religionis ſacramento initiaverant , ſed interprete deſtituti , à Mandarinis etiam affecti contumelia , irritò conatu receſſerant . Nec multo plus proficiebant ſacerdotes , qui Luſitanos Caſtellanosque , Macao & Manila ſolvere ſolitos in Cocincinam quotannis , ad quadrimeſtres & ſolemnes nundinas , comitabantur , ut ipſis ſacramenta miniſtrarent . Hoc unum capiebatur ex illa navigatione commodi , quod gentis mores & inſtituta cognoſcebantur . De cujus indole optima , & humanitate præſertim in exteros , cum multa quotidie Luſitani prædicarent , ſpem noſtris hominibus ampliſſimam egregiæ meſſis oſtendebant . Eoſdem invitabant Japonii exules , in Cocincinam magno numero tranſgreſſi , quorum pietatem fovère , & ſol-

litis

S. III.

INGRESSUS SOCIETATIS IN COCINCINAM.

litis munire prædiis conveniebat; nec deerant qui exulum istorum operâ perducere posse facilius indigenas ad Fidem existimarent. Denique inclinantes, & ad rem suscipiendam per se promptos, impulit Ferdinandus à Costa, Lusitanæ navis magister. Ille P. Manuelem Diaz, rectorem collegii Macaensis, nomine Regis Cocincinæ adiit, ac præcones Evangelii postulavit.

37.
P. Franc. Buzomius Cocincinensis Missionis fundator.

* Anno 1624.

Rector, gratis impensè Deo persolutis, qui præclarum hunc laborem Societati suæ imponeret, oculos conjicit in P. Franciscum Buzomium Neapolitanum, qui sacram tunc scientiam Macai docebat: virum eruditum, sed modestum; acrem, sed consideratum; flagrantem studio salutis animarum, sed qui frenatæ ardorem hunc in loco nosset. Hic delectus est, qui Cocincinensis Missionis fundamenta jaceret. Additus illi comes, P. Didacus Carvalli, aliquot annos versatus in Japonia, unde pulsus in exilium, Macai confidebat: brevi tamen regressus in Japoniam est, quo illum gloriosa mors pro Christo subeunda * revocabat. Ambo, Superis ducibus & auspiciis dant se in viam, & Cocincinam anno MDCXV. ineunte feliciter subeunt. Quinque in provincias, seu præfecturas, tota tribuitur. Prima, Tunkino propior, Sinoa dicitur; ibi Rex ferè degit: altera, Cacciana, quam Regis filius administrat: tertia Quanguia: quarta Quignima, five Pulucambis: quinta demum Ranrama, Chiampæ regno finitima, & in Austrum maximè devexa. Omnium portuum amplissimus & celeberrimus est in provincia Caccianensi. Duplex in eum aditus patet: alter Pulluciambellus nuncupatur; alter Turamus. In hoc postremo sedem collocarunt Patres. Ac Japonibus quidem statim operam navavit Carvalli: Buzomius animum ad Cocincinensem linguam perdiscendam, cognoscendosque gentis mores, appulit. Ubi balbutire primùm cœpit, continuo de veteribus illis Christianis, quos a sacerdotibus naves Lusitanas comitantibus baptizatos diximus, inquirere diligentius instituit. Paucos deprehendit, eosque tam rudes, ut Christianum nomen à Lusitano non distinguerent. Dedocuit illos Buzomius, & quæ vis inesset nomini Christiano, quæ dignitas; quæ imposita Christi cultoribus norma lexque vivendi, monstravit.

Hunc in modum & Christianis veteribus eripuit errorem, & plerisque alios ad Ecclesiam aggregavit. Simul ac vigere illos numero & pietate conspexit, divinæ legis promulgandæ, & construendi templi, facultatem à Rege petiit. Rex ejus modestia & comitate captus, prolixè quæ petebantur annuit. Emicuit Christianorum ardor in æde sacra extruenda & ornanda; nec ita multo post, primum in ea sacrificium vero Numini est oblatum, tradita publicè doctrina Evangelica, & nascentis Ecclesiæ primordia faustis omnibus consecrata.

Non hic stetit Buzomii felix impetus. Excurrit in provinciam Caccianensem; Regisque filium ac proceres ita sibi devinxit, ut paucis diebus ethiopes complures amore cœlestis doctrinæ succenderit. In iis matrona fuit genere, ingenio, moribus, præstans, quæ non modicas opes in ædificandum templum, & domum Societatis, impendit. Nec desiderati diu sunt, qui templum implerent, neophyti. Cum primum in urbe Cacciano, provinciæ primaria, P. Buzomius verba fecit de suppliciis sempiternis, quibus cruciandi forent, quicumque alium à vero colerent Deum, tantus est in animis excitatus derepente timor, tanta veri Numinis cognoscendi cupiditas, ut trecenti auditores in legis Christianæ verba juraverint. Quos præco Evangelicus diligenter institutos, ac demum ex aqua & Spiritu Sancto renatos, tanquam lapides vivos in fundamenta Cocincinensis Ecclesiæ demisit. Ea Macaum perlata Socios admiratione & gaudio impleverunt. Statim de submitendis auxiliis cogitatum. Fortunata fors obtigit P. Francisco Pinæ, P. Buzomii nuper in schola theologica discipulo. Adjunctus illi fuit Frater Japonensis, domesticæ rei adjutor. Latiora erant hæc initia, quam ut esset hæc tranquillitas diuturna. Neque hominum hostis usitatas artes adhibere cessavit, ut imminentem sibi cladem averteret. Erupit ejus furor in sequentes annos, ut Parte VI. referetur.

Dum in Asiam & Americam Societas excurrerebat, Europam non neglexit. Parum erat tot domicilia paucis annis vel iniisse de integro, vel quondam amissa recepisse: nisi ea legibus optimis munirentur. Novas tamen esse condendas

Aqua-

Aquaviva minimè judicavit, satis gnarus legum copiam religiosis Ordinibus oneri esse, ut corporibus multitudinem remedium. Itaque satius duxit providere ut vigerent antiquæ, & bene constitutæ. Porro cum hæc illos præcipuè cura spectaret, qui collegiis domibusque singulis præfunt, quorum exemplo, sollicitudine & auctoritate nostrarum custodia visque legum stat; idcirco silvam quandam monitorum atque observationum collegit, quæ ad cunctos rectores ac præpositos transmitteretur. Deinde singillatim morbos animorum considerans, quorum curatio rectoribus incumbit, remedia quædam illis curandis idonea in libellum congescit, qui inscribitur: *Industria pro superioribus Societatis, ad curandos animæ morbos*. Idque opusculum permagno non tantum nostris, sed aliarum etiam familiarum præsidibus adjumento esse constat. Iisdem impense commendabat auream S. Bonaventuræ lucubrationem, *De sex alis Seraphim*; eamque separatim à ceteris viri sanctissimi operibus, ut unicuique superiori ad manum esset, edendam curavit. Neque vero satis illi visum monere scripto singulos gregis sibi commissi pastores; certos præterea homines submisit in provincias, inspiciendi causa quid ubique gentium ac locorum in Societate fieret, quàm sanctè Constitutionibus nostris ac regulis, tum etiam decretis Congregationum Generalium, mos gereretur. Nullà, quæ Visitatoribus aut aliis præsidibus tribuitur, potestate præditos esse inspectores illos voluit, nullo jure cujusquam rei vel mutandæ, vel statuendæ; nullius immunitatis, aut beneficii cuiquam conferendi: hoc unum concessit ut ne loci, quem adirent, præposito subessent: cum eo tamen monuit ut benignè & comiter agerent; unà recognoscerent quid peccaretur domi, negligenterve; adhibitis etiam in consilium Patribus gravioribus. Tum negligentia atque errati causas & remedia, communicatis amicè sententiis, dispicerent. Curarent in primis indagare prudenter statum cujusque domus, & personarum quæ in ea degerent, interrogatis quoscumque censuissent interrogandos, & ad præstandam arcani fidem adactis, imposito, si videretur, obedientiæ præcepto: Præpositum deinde Generalem de omnibus facerent certiore. Denique tandiu morarentur in eodem loco, dum aut emendata, aut in usum inducta cernerent, quæ monitus per illos Præpositus Societatis corrigenda vel instituenda judicasset. Idem Aquaviva edixit, ut Annuæ Litteræ accuratius perscriptæ Romam mitterentur: ut hac rerum à Sociis gestarum cognitione magis coalesceret mutua caritas; utque virtutum commemoratio veluti domesticarum aliis incitamento esset, aliis saltem pudori: omnibus vero tum nostris, tum externis, afferret Societatis notitiam, ac divinæ bonitatis prædicandæ locum daret, cui merito acceptum referri debet, quidquid ab hominibus bene ac laudabiliter geritur. Iisdem fere de causis curavit ut perpetua totius Societatis, ab ipso ejus ortu, conficeretur Historia. Præfecit huic labori Nicolaum Orlandinum*, quem Neapoli, ubi tirones instituebat, Romam idcirco evocavit.

Quoniam autem catholicæ doctrinæ integritatem, ac studium solidæ pietatis ita Societas amplectitur, ut litteras humaniores, tanquam utriusque præsidium ornamentumque, diligenter excolat, confectus accuratè fuit libellus de ratione studiorum in collegiis Societatis observanda. Is excudi cœptus erat anno MDLXXXVI. * Nihil in eo tamen definitum habebatur, & perpetua sancitum lege, ut ejusdem præfatio disertè monet. In eo tantum continebantur animadversiones & sententiæ designatorum à Præposito Generali Patrum, quas in unum colligi librum placuerat, ut plura suppeterent exempla, quibus perlectis suam singulæ provinciæ judicium perferberent; ac demum, quid optimum factu esset, decerneretur. Quod aut ignoratum aut dissimulatum oportuit à Societatis adversariis, qui ex isto libello nescio quid haud semel nobis objecere. Ratio certa, ordo, & praxis tradendarum in Societatis scholis litterarum, ab omnibus provinciis recognita, & à Præposito Generali approbata, prodiit duntaxat anno MDXCI. & anno MDXCII. ad universam Societatem est transmissa, ut in mores induceretur, *abrogatis* (quemadmodum in præfatione dicitur) *omnibus aliis quæ unquam constituta fuerint, si repugnent his regulis*. Quia tamen ea pars, quæ delectum opinionum, præsertim in theologia, censuramque continebat, edi mittique non

S. IV.
RELIGIOSA DIS-
CIPLINA IN COL-
LEGIIS AC DOMI-
BUS SOCIETATIS
MUNITA.

* Plura de illo
vide in Præfat.
Tom. I. Hist. Soc.

38.

Libellus de Ra-
tione Studiorum.
Liberum Revisi-
tores. Græcæ lit-
teræ.

* Lege annum
1584. n. 2. §. seq.

non potuerat eodem tempore, ut in eadem præfatione narratur, & quotidianus docendi usus multa in dies ostendebat, idem libellus, paucis additis mutatisque, denuo fuit editus Neapoli anno MDXCVIII. & MDCIII. tum Romæ, anno MDCVI. Denique ultima editio ejusdem libelli, auctoritate septimæ Congregationis Generalis paululum aucta, exiit Antuerpiæ, anno MDCXXXIII. Hinc intelligi potest quid iis respondendum sit, qui Societatem levitatis aut malæ fidei arguunt, quod in variis editionibus libelli de ratione studiorum nonnulla mutata deprehendant. Causam attulimus: nimirum, quia libellus iste, cum primum est editus, nihil habebat fixum ac legitima constitutum auctoritate, sed sententias duntaxat complectebatur aliquot Societatis theologorum, quorum mentem Aquaviva exquiserat. Postea sic est vulgatus, ut nihilominus addere quod videretur, vel demere liceret, ut iis rebus accidit quæ ipsa die & usu perficiuntur.

Porro in eodem libro, præter cetera gravioris momenti, illud præcipitur ut elementa linguæ Græcæ, quæ non nisi auditoribus supremæ classis grammaticæ antea tradebantur, in ipsa deinceps infima grammaticæ schola explicentur. Quare inter viros doctos nonnulla exstitit altercatio, negantibus aliis puerilem memoriam, Latinis intentam litteris, obruendam esse Græcis, quarum & major difficultas, & usus rarior. Alii contra pugnantibus, nunquam satis cito percipi, quod penitus ediscendum sit: difficultatem Græcæ fermonis pervinci nullo negotio à pueris posse, quorum animis, ut molli ceræ, omnia facile consignantur; ea vero nisi à tenera ætate superetur, à provectiore nunquam superatum iri. Quam sententiam uti tum ratio, sic usus postea comprobavit. Sic autem ferme accidit, ut quàm quisque Græcas litteras callet, tam bonis artibus ceteris sit excultus; sive quia labore Græci fermonis addiscendi perrupto, commodius aliarum disciplinarum molestiæ exhauriri solent; sive quia libris Græcis ac scriptoribus pulcherrima & verissima scientiæ tum sacræ, tum profanæ pars continetur. Societati vero nostræ, ut Græcarum litterarum studium, quod hæcenus professæ est, retineat semper & augeat eo diligentius enitendum est, quod omnium doctrinarum, quæ viros religiosos & eruditos decent, amplitudinem complectatur, & quotidianum fere certamen suscipiat cum hostibus doctrinæ catholicæ, gloriari solitis intelligentia Græci fermonis, & eo contra nos dimicare.

Idem cum nostris contra nos quoque auctoribus ac scriptis uterentur, in quibus nonnihil occurrebat aliquando, quod ansam ad reprehensionem daret; faciendum judicavit Præpositus Generalis, ut præter censors illos, qui libris recognoscendis in unaquaque provincia collegiove assignantur, alii Romæ constituerentur, ad quos gravissima quæque scripta ex universa Societate referrentur. Delectos è diversis nationibus, pro numero Assistentiarum, præfecit huic muneri, propriisque monitis & mandatis instructos, *Revisores* appellavit. Inter libellos tunc ab istis Revisoribus approbatos, utilissimus est editus, quo ars & via tradendorum S. Ignatii Exercitiorum docetur, quique proinde *Directorium Exercitiorum* inscribitur. Cum enim ad excolendam pietatem, emendandosque mores, mirum quantum valeant Exercitationes illæ animorum, ordine pulcherrimo a B. Patre descriptæ, plurimum interest quo pacto arma ista tractentur. Quid enim militem vel optimus juvat gladius, si uti nesciat?

Sed mutis doctoribus, quales sunt libri, plus multo vivos vocalesque roboris habere constat; neque aliam rem majoris esse momenti in via studioque pietatis, quàm peritum viæ ducem. Ejusmodi duces in singulis domiciliis jam inde à condita Societate fuisse dubium non est, eosque rerum spiritualium præfectos vocitamus. Ut scientissimi atque optimi deligerentur præcepit Aquaviva, simul etiam quæ ipsorum essent partes, quibus ad suum munus recte obeundum prædictis juvari possent, declaravit, seque admoneri voluit à Provincialibus, quinam huic muneri, præsertim in majoribus Seminariis, præpositi forent; quo fructu, qua diligentia eo fungerentur; quam quisque Sociorum ad illud facultatem indolemque præ se ferret. Quod privatim factitant doctores virtutis, & moderatores animorum, hoc ipsum concionatores publicè splendidiusque præstant: iis quoque partem suæ providentiæ Claudius impertivit. Ac primo quidem enixe com-

39.
Præfectis rerum
spiritualium,
concionatori-
bus, & Evange-
lii præconibus
data monita.

mea-

mendavit, ut non tincti leviter sacrarum litterarum scientia, sed imbuti penitus essent: deinde, ut frequenti rerum cœlestium contemplatione ignem conciperent ipsimet, quem in aliorum postea mentibus accenderent. Cum autem duo sint Evangelii præconum genera, unum eorum qui certo affixi addictique loco sedent: alterum eorum, qui verbum veritatis, ut imbrem fecundum, huc illucque spargunt: istis quoque postremis proprias condidit leges. Placebat ipsi præsertim ut regionis alicujus fumeretur idonea pars, ad quam duo tresve aut plures, si opus esset, sacerdotes excurrerent: qui exacto tempore ipsis ad laborem Evangelicum constituto, referrent se ad certum Societatis domicilium, unde in aliam partem prodirent similiter excolendam. Porro non pauciores quam octo decemve sacerdotes volebat in eo degere domicilio, additis rei domesticæ adjutoribus necessariis; ac transferendum censebat, instar castrorum, quæ, ut belli ratio tulit, commutantur. Sic multas paucis mensibus provincias confidebat erudiri & emendari posse, idque arbitrabatur maxime proprium esse Apostolici muneris ac nominis. Et vero sidera non uni stant affixa loco; sed jugi motu circumacta, lucem & beneficam vim longè lateque diffundunt.

Ut vero Societas esset paratior ad expeditiones Evangelicas, sive uni affixas loco, sive omnibus promiscue spargendas, laboravit ut aliis omnino soluta esset occupationibus, quæ illius operam alienis ab Instituto & molestis implicare curis possent. Itaque cum id agerent Helvetii Lucernenses, ut ordinariam nobilis cœnobii virginum Christo dicatarum curam Socii susciperent, eaque de causa Summum etiam Pontificem interpellassent: ille a Præposito Generali rogatus, rem integram ipsi permisit. Sane id muneris præterquamquod à mente S. Ignatii & Instituto nostro plurimum abhorret, etiam hoc ipso tempore difficilius erat ob editam * Constitutionem, *De largitione munerum regularibus utriusque sexus interdicta*. Hinc perturbatio non levis in cœnobiis, maxime feminarum: cumque à Claudio Aquaviva nostri variis è provinciis requirerent quomodo mens Pontificis interpretanda foret: rescripsit Claudius in hæc verba; *Non possumus aliud respondere, quam quod ex ore Sanctissimi accepimus: hoc est, ut consulant isthic inter se nostri, & ex peritorum sententia ita se gerant in ejus praxi, ut agendum esse cognoverint, utque alios religiosos ac probos viros se gerere animadverterint*. Eandem Societati sacrarum virginum regendarum curam imponere anno MDXCVII. Cardinalis Gesualdus, Ecclesiæ Neapolitanæ Archiepiscopus, contendebat, impetrato ad eam rem mandato Pontificio. Ne Pontifex facile adiretur prohibebat morbus. Cardinalis tamen Baronius, pro suo peculiari erga nostrum Ordinem studio, cui nuper Octavianum fratris filium dederat, eam suscepit causam, mandatumque rescissum est. Aquaviva Cardinalem Gesualdum, ne Societati, legum nostrarum ignarus, succenseret, placare studuit, ac simul gratias egit quod tam benignè nostris sacerdotibus, ubicumque res posceret, uteretur. Longe plus negotii ac molestiæ peperisset Societati duorum è nostris inconsulta temeritas, nisi Regis Catholici erga nos benevolentia singularis, & sapientia periculum discussisset. Is, admonitus eos de regni negotiis aliquid scripsisse imprudenter, ut levissime dicam, Præpositum Generalem Societatis fecit certiores. Qui gratis impense actis, significavit deliberatum sibi esse reos privatis omnibus, & publicis, quæcumque possent in religiosa familia excogitari gravissimæ, pœnis multatos, ad extremum è Societate dimittere. Nihil enim ferebat Aquaviva molestius, quàm Societatis homines contra præcipuum hoc legum nostrarum ac disciplinæ caput peccare, quo jubemur non modo nos publicis non immiscere negotiis, sed ne bella quidem contentionesve inter Christianos Principes, in colloquium inducere*. Rex imprudentia peccasse illos & levitate potius, quam malitia, respondit, atque adeo non privandos tanto, quantum Societas erat ac religiosa vita, bono: satis fore si ab Hispania removerentur. Gratias ingentes egit Philippo Præpositus Generalis, & utrumque aliò ablegavit.

Sigismundo Regi Poloniae à concionibus P. Petrus Scarga, & Bernardus Golinius à sacris confessionibus, erant; ambo singulari apud ipsum gratia. Cùm missionem ab aula flagitarent (nam religiosos viros, si memores instituti sui sint, Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

T t

40.
Negotiorum ab
instituto alie-
norum fuga.

* Die 19. Jan.
1594.

* Regul. 30. Com-
mun.

in ea agrè, ac tanquam in alieno & propemodum hostico solo, versari necesse est.) Aquaviva Provinciali mandatum dederat, ut eos cum bonâ regis veniâ subduceret. Quod ubi agitari sensit Germanicus Malaspina, Nuncius Apostolicus, datis gravibus ad Pontificem & Præpositum Generalem litteris, intercessit; necessariam illorum operam discutans esse, ad Fidem & concordiam in regno retinendam. Nihilominus, quod uterque orabat denique exoravit, eoque Rex profecturus in Sueciam, à se disjungi passus est; quamquam non missionem dare se diceret, sed quietem; qua dum fruebantur, duos alios è Societate sacerdotum adscivit, quorum opera uteretur ad expiandam conscientiam, & regias conciones. Veritus ab aula discedere P. Sigismundus Ernhofferus, Regina à sacris confessionibus esse perrexit. Quæ cum perciperet ut ille in Cracoviensi arce, à Societatis ædibus remotissima degeret, scripsit ad Ernhofferum Aquaviva, *se magnopere velle ab hoc consilio desisti, ut nulla ejus rei exempla essent in Societate, iis præsertim locis, ubi sunt domicilia nostrorum. Quare, inquit, omnem plane operam adhibendam censeo, ut declinemus istam necessitatem, atque ut serio providetur, ne Serenissima de hac re nos interpellet, &c.* Eodem fere argumento scripsit anno MDXCIV, ad P. Scargam, quem Rex in aulam cum P. Golinio revocaverat: *Quoniam id assequi non licuit quod sperabamus, inquit, danda certe est opera, ut quod in nobis est non omittamus, subducendo nos quoad possumus, si penitus abesse non licet. Propterea, quod attinet ad habitationem, opera pretium erit ut eam ordinariam habeat in domibus nostris, tum scilicet, cum in iisdem locis ubi aula versatur, domicilia sunt Societatis. Quod si uspiam grave videbitur, propter distantiam locorum, potest nihilominus domi nostræ habitare, & pridie quam habenda est concio, in aulicis ades migrare: quemadmodum hic Roma aliquando factum est; ut qui ad Pontificem concionabantur, ad Pœnitentiarum collegium vesperi se conferrent, & postridie, absoluta concione, domum repeterent. Plurimum vero id consulet ad fiduciam, nobisque ob eas causas erit gratissimum.*

41.

Juniores post tirocinium à provectioribus parumper segregandi.

42. Multa, quæ ad instaurandam aut sancendam Societatis disciplinam spectant, à Congregationibus Generalibus quinta & sexta, quas retulimus Libro XI. fuere constituta: item in septima, quæ postremum hujus Tomi librum claudit; necnon in Congregatione procuratorum, habita anno MDC. Jussit Clemens VIII. anno MDXCIII. ut post sexennium Congregatio Generalis haberetur. Idem tamen oratus à Patribus, rem liberis provinciarum suffragiis permisit. Delecti è singulis provinciis procuratores Romam cum venissent, nihil esse causæ cur comitia Societatis indicerentur, censuerunt. Hac levati cura operam in decernendis capitibus nonnullis collocarunt, quæ videre licet in Actis istius Congregationis: cuiusmodi est, ut Visitatores in certas provincias quamprimum mitterentur: ut Provinciales de promovendis ad gradum referrent diligenter ac maturè ad Præpositum Generalem; ac, si quis parum dignus solemnibus quatuor votorum professionibus videretur, illi scriptæ, cur esset rejectus, causæ traderentur. Decretum etiam est, ut tirocinio perfuncti juniores, à ceterorum Patrum contubernio ad certum usque tempus segregarentur. Jampridem id plerique nostrorum optabant; ac stabilimum denique in Congregatione generali VI. fuit*. Parum convenire videbatur ut adolescentes, domo probationis & severiore disciplina nuper emeriti, statim atque ad collegia demigrassent, eadem quæ veterani ac senes libertate fruerentur. Sane constat, recenti adhuc Societate, necdum penitus constitutâ disciplinâ, minimè promiscuam fuisse consuetudinem junioribus vel inter se, vel cum ceteris; sed, de rectoris sententia, solitos illis assignari certos è nostris, quibuscum colloquerentur. Idque apparet haustum à primis illis religioso vitæ magistris*, & coenobiorum conditoribus, qui semina virtutum, mandata rudibus animis, intentiore curâ fovendi tantisper oportere judicabant, dum suis nixæ radicibus aperto se impune cœlo crederent. Huc accedit, quod juvenus facile debitam ætati provectiori reverentiam exiit, si cum ea familiariter & liberè verteret. Tum, videtur æquum nonnulla indulgere senectuti jam emeritæ, quæ non rectè usurpent adolescentes. Quid quod aliqua rectè sunt à grandioribus natæ, quæ pejorem in partem accipiuntur à junioribus, propter imbecillitatem sive judicii, sive

* *Supra, Lib. XI. n. 114.*

* *S. Basil. Reg. fus. disp. c. 15.*

sive virtutis. Nec nulla peccantur à senibus per imprudentiam, aut incuriam, quæ subduci teneris oculis, ne fascinentur exempli contagio, decet. His motus Aquaviva nostros à tirocinii lacte depulso, per biennium fermè continendos paulo strictiore disciplina, & à ceteris segregandos existimavit, constitutis, qui peculiarem eorum curam gererent, rectoris administris: licet tamen, inquit, iis addere contubernales quosdam maturioris & virtutis & ætatis, quorum exemplis ducantur. Hæc aliaque id genus nonnulla, quæ ad religiosæ familiæ disciplinam pertinent, quamvis minuta & exilia videantur; majorem tamen opinionem vim habent. Capillos homini, cetera non invenuto, si detraxeris; partem venustatis non minimam abstuleris. Molles articulorum commissuræ, fibræ nervorum, teretes & apti ductus oris, membrorumque certa conformatio reliquorum, non dignitati modo serviunt, sed etiam ad statum corporis & motum sunt opus. His aut mutatis, aut accisis, deforme ac mancum est. Hæc severioris disciplinæ custodia peperit insignes, qui Societatem illustrarunt, viros, ac duos præsertim qui novum sacræ dignitatis decus principes in eam intulerunt: Franciscum Toletum dico, & Robertum Bellarminum, ornatos Romana per idem tempus purpura.

DE TOLETO mentionem obiter fecimus Lib. XI. in Congregatione Generali Quinta*. Nunc paulò uberius exponendum est quibus veluti gradibus ad hanc dignitatem provectus fuerit. Tantum virum ediderat Corduba anno MDXXXII. & Societati MDLVIII. Salmantica dederat, jam annos sex & viginti natum, atque ingenii eruditionisque laude celebrem. Romam accitus à S. Franc. Borgia, nondum elapso tirocinii biennio, philosophiam ac theologiam ibi docuit ubertate doctrinæ, brevitate, ac perspicuitate admirabili. Ad habendas in Apostolico Palatio conciones ordinarias adscitus à Pio V. * munus deinceps illud pari eloquentiæ & eruditionis laude annis quatuor & viginti gessit. Duas vulgo faciebat concionis partes: altera versabatur in exponendo & illustrando, quem tractandum sumperat, Evangelii loco; in eaque robur ingenii, ac perfectam, qua pollebat, sacræ scientiæ cognitionem expromebat: altera comparata erat ad permovendos animos, & excitandum amorem demonstratæ veritatis. In hac oratorem, in illa theologum sentires. Idem cum prudentia & sagacitate præstaret, eamque ob causam Pontifex de gravissimis negotiis ejus consilium sæpiùs exquireret, jussus est in Palatio Pontificio habitare, & Pœnitentiariæ, ut vocant, Apostolicæ Patribus præesse. Anno MDLXXI. datus fuit comes Commendone Cardinali ad Maximilianum Cæsarem, ac Sigismundum Poloniae regem Legato. In Germaniam rediit, jubente Gregorio XIII. ad Cæsarem, & Albertum Baviaræ Ducem. Decem post annis ejusdem Gregorii XIII. jussu petivit Belgium, ubi errorum mala succrescebant femina, & Michaellem Baium ad recantanda quæ docuerat, leniter adduxit*. Carus æque fuit consecutis Pontificibus, ac præsertim Clementi VIII. qui singularem viri probitatem, prudentiam, & eruditionem in multis expertus eam Romano muneratus est ostro XV. Kalend. Octobr. anno MDXCIII. ac titulo S. Mariæ Transpontinæ. Quàm invito ac reluctanti Toletus fuerit hic honor impositus docent ejus, quas referemus infra, litteræ*. Quibus perlectis Clemens illum his ipsis verbis est allocutus: *Imperamus tibi tota auctoritate nostra, ne deinceps cogites de Cardinalatu abdicando. Hæc verba non sunt nostra, sed ejus, qui ea nobis inspirat, Dei.* Quamobrem Toletus diutiùs pugnare nequaquam ausus, datum sibi locum inter Purpuratos Patres retinuit, identidem dictitans malle se in umbra collegii delitescere, quàm in sacri senatus luce conspici: perrexitque operam illustrandæ religioni pariter ac Societati navare tanto utiliorem, quanto ipse major. Ac præclarè de utraque meritis profecto est, adnitendo summa ope apud Clementem, ut Henricus IV. Rex Christianissimus vinculis anathematis levaretur*. Quod beneficium Henricus ipse cum deberi Toletus præ ceteris intelligeret, ei demortuo publicis carimoniis in regia urbe, & templo Lutetiæ primario, voluit parentari.

Inter alias dotes egregias, elucebat in eo præcipua in Dei Matrem pietas. Sabbato quolibet oleribus vesceretur, vinoque abstinebat. Prævio quadraginta dierum jejuniis festam ejusdem Assumptæ in cælum colebat lucem, etiam provecta

§. V.

P. FRANC. TOLETUS IN COLLEGIUM CARDINALIUM COOPTATUS.

* Lib. XI. n. 19. & 55.

* An. 1569.

42.

Ejus vite summa. Mortis quædam circumstantia.

* Lib. XIV. n. 44.

* §. XI. n. 60.

* Lib. XII. n. 40.

ætate : ad celebrem Divæ Mariæ in Exquiliis basilicam singulis sabbatis itabat pedes à palatio Vaticano, quod intervallum oppidò longum est. Itaque cum istud pietatis officium usurpasset anno MDXCVI. ætate calidissima, contracto morbo decessit Romæ, sabbato festum natæ Virginis consecuto, XVIII. Kalend. Octobres. Supremo languentem morbo Pontifex, raro exemplo, & singulari benevolentia significatione, convénit, obortisque lacrymis amplexatus est. Moriens libros collegio Romano, supellestem Exquilinæ basilicæ legavit, quam heredem scripsit, institutis in ea duodecim presbyteris, & annuo censu donatis, ut rem divinam quotidie ad aram Deiparæ facerent. Corpus, uti testamento caverat, in eandem basilicam illatum; ubi hoc elogium in marmor incisum legitur. *D. O. M. Francisco Toletò, Cordubensè, S. R. E. Presb. Card. summo Theologo, verbì Dei prædicatori eximio; in rebus magnis agendis consilio & prudentia singulari: qui ob excellentem virtutem & merita, præclaro Clementis VIII. Pont. Max. judicio, primus in Societatem IESU amplissimam dignitatem intulit. Vixit annos LXIII. menses XI. dies X. Obiit anno MDXCVI. die XIV. Septemb. S. Dei Genitricis herede instituta; presbyteris, qui ad ejus altare missas celebrarent, censum perpetuum attribui jussit. Benedictus Justinianus & Petrus Aldobrandinus Card. executores testamentarii, collega optimo: & Capitulum, & Canonici hujus basilicæ viro amplissimo, & optimè de se merito posuerunt.*

Ornatus fuit eruditorum omnium præclara existimatione, ac multorum præconiis honestatus, præsertim Summorum Pontificum, quos inter Sixtus V. litteris ad ipsum datis ita loquitur: *Spektata tua in nos & Apostolicam sedem merita, ab eminenti doctrina profecta; qua, in verbo Dei Romanis Pontificibus, in spiritu & veritate, summa cum eloquentia prædicando, incredibili omnium theologorum admiratione, & prædecessorum nostrorum, ac nostra totiusque S. R. E. Cardinalium collegii approbatione, præcellis &c. Gregorius vero XIII. Tanta est, inquit, doctrina, prudentia, fides, & diligentia tua, qua gravissimis in muneribus longo & intimo usu nobis cognita sunt ac perspecta; ut tua scripta, sicut ceterorum, aliorum judicio & examini subijci æquum non sit &c. Idem Gregorius Tertius decimus de eodem Toletò ad Bavarie Ducem sic scripsit: *Confirmamus hunc hominem esse illum quidem omnium qui nunc sunt, sine ulla controversia doctissimum: nos autem multo majorem ei laudem tribuere intendimus integritatis atque innocentia, quam doctrina. Nec quidquam ferè gravius incidit, quod ad animarum salutem pertineat, in quo non hujus viri consilium adhibeatur. Nos hujus virtutem & vitam experti sumus, perfectissimè cognoscimus, & quod scimus testamur, &c. Omitto aliorum testimonia, quæ apud varios scriptores litteris consignata existant.***

NON levius Societati ornamentum attulit P. Robertus Bellarminus ab eodem Clemente VIII. Romana similiter amictus purpura, anno MDXCIX. Patria illi Mons Politianus, Italiae civitas: illustre genus, quippe qui genitus esset sorore Marcelli II. Pontificis Maximi: virtus & eruditio genere non inferior. Inierat Societatem anno MDLX. ætatis duodevigesimo. Sacram doctrinam Lovanii primus è Societate, summa omnium approbatione, tradidit: mox Romæ controversas Fidei quæstiones tam secunda fama explicuit, ut eum Sixtus V. comitem addiderit Henrico Cardinali Cæetano, in Galliam legato proficiscenti, ubi graves de religione controversias hæreticorum audacia moverat. Inde redux, emendandis sacris Bibliis à Gregorio XIII. adhibitus, & variis perfunctus in Societate nostra muneribus, Romam è Neapolitana, quam administrabat, provincia vocatus est a Clemente VIII. ut Pontificii theologi locum, quem Cardinalis Toletus paulo ante demortuus obtinebat, impleret. Utque Pontificii ædibus esset propior, in collegio Societatis, ubi degunt Patres qui Vaticano Apostolicæ Penitentiaæ foro præsent, habitavit. Ibi nostris rector impositus, Cardinalis præter expectationem creatus est, hunc in modum. Quinto Nonas Martias anni MDXCIX. Cardinalis Aldobrandinus misso prope nuncio certiorum illum facit Cardinales tredecim renunciatos à Summo Pontifice, in iisque ipsummet Bellarminum: simul vetat nomine Clementis, ne domo pedem, nisi accitus ab eodem efferat. Bellarminus tam inexpectato, tam tristi percussus nuncio, vocatos tre-

* Vide August. Oldoinum in Clemente VIII. Oratum Epist. 22. Lib. I. Bibliothec. Script. Soc.

S. VI.
P. ROBERTUS
BELLARMINUS
CARDINALIS
CREATUR, ET
ARCHIEPISCOPUS
CAPUANUS.

pide Patres consulit quid facto sit opus. Respondent omnes nullum deliberationi locum esse, neque spem ullam ostendi mutandæ rei, aut Pontificis ab incepto revocandi. Non diu suspensos tenuit Clemens. Vocatus ad purpureum galerum capessendum Bellarminus, cum excusationem profusis lacrymis ordiretur, interpellatus est ab ipso Pontifice, qui vocem attollens, *In virtute sanctæ obedientiæ, inquit, sub pœna peccati mortiferi, & excommunicationis lata sententiâ, jubeo ut Cardinalatus honorem accipias.* Hac voce conterritus, quippe tam obsequii tenax, quam honoris fugitans, conticuit. Ceterum dolori & gemitibus, quod licebat, non pepercit: vix ut mœrentem consolari potuerint qui aderant, unusque ingemisceret, plaudentibus ceteris, & palam gratulantibus, homini de re Christiana tam bene merito repensam esse mercedem. In quo non minorem eligentis Pontificis, quàm ejus qui eligebatur, gloriam cuncti prædicabant: adeo ut Cardinalis Petrus Carafa non dubitaret affirmare invidendam Summo cuilibet Pontifici fuisse Clementis VIII. felicitatem, qui Bellarmini & Baronii præclara merita Romano coronare potuisset ostro. Idem proficetur scriptor in propagandis ad posteros summorum virorum laudibus non exiguam eruditionis & ingenii laudem consecutus*: *Duos, inquit, singulari ingenio, sanctissimis moribus & incredibili eruditione viros hac nostra ætas in amplissimo Purpuratorum Patrum collegio conspexit, quorum utrumque plus ad purpuram splendoris attulisse, quàm ab ea accepisse, est in confesso apud omnes; nimirum Robertum Bellarminum, & Casarem Baronium.* Bellarminus quidem certe hoc eminenti honoris gradu eo dignior visus, quòd nihil ut ad illum eveheretur fecerat, nisi ut eodem se dignissimum præstaret. Clemens vero cum illum inter alios, qui sacrum in collegium legebantur, nominaret, sic est locutus: *Hunc eligimus, quia non habet parem in Ecclesiâ Dei quoad doctrinam; & quia est nepos optimi & Sanctissimi Pontificis Marcelli II.*

Tot laudibus oneratum se potius, quam ornatum existimans novus Cardinalis, pristinam vitæ humilitatem, dulcesque latebras tanto dolentius requirebat quanto altius velut in solem Romanæ Curie productum se intuebatur. Hanc in sententiam respondebat gratulantibus amicis. Itaque cum Justus Lipsius, ille reconditoris doctrinæ pater, & litterarum sidus clarissimum, cui Bellarminus Lovanii, eum theologiae ibi doceret, probe notus fuerat, ad eum breviter pro suo more graviterque scripsisset: *Honorem hunc tibi ex corde gratulor, Illustrissime & Reverendissime, non donum, sed præmium: rescriptit Cardinalis*:* *Quod mihi purpuram graularis, amplector benevolentiam, excuso errorem. Nihil enim, mihi crede, in hoc honoris gradu experior, nisi periculossimam sollicitudinem.* Ad Augustinum verò Valerium Cardinalem, Episcopum Veronensem, scribens, *In laqueos, ait, quos jamdudum timebam, incidi. Sic visum Superis: sic Pontifici Maximo, qui excusationem nullam admittit. Patientiâ fit levius quidquid mutare nefas est. Hæc scripsi ad illustrissimam Dominationem vestram, ut mei miserescat.* Secundum hanc epistolam, alteram ad eundem misit paulo longiorem, cui respondens Valerius Latinè (sic enim inter se scriptitare illi viri docti & amici consueverant) *Delectavit me, inquit, mirum in modum humilitas, quæ in tota tua illa epistola elucet, virtutum omnium, quæ in Christiana pietate continentur, fundamentum. Hanc exprimis tu, Cardinalis optime, vir Dei, in tua gratissima & suavissima epistola illis verbis: Quid hoc est? inquis, verene Robertus Bellarminus Jesuita, alumnus, clientulus, servulus amplissimi Cardinalis Veronensis, ædes Domini sui nunc inhabitat? Quid hoc est? ais. Miraris, serve Dei, qui nobilem Iesuitarum religionem annis multis ornasti, qui multiplicem & egregiam doctrinam pulcherrimis tuis libris ostendisti, qui multis erroribus Ecclesiam Dei in exteris provinciis purgasti, qui magnam in Ecclesia Dei pietatis & doctrinæ famam es consecutus; quod tibi delati sint honores, qui doctissimis viris, & præstantissimis virtutibus præditis, debentur. Nimirum humilitas tua admirationem ejusmodi peperit. Quid hoc est? inquis, Hoc est præmium virtutis tuæ, hoc testimonium excellentis doctrinæ tuæ, hoc indicium judicii Clementis VIII. Christi Vicarii, hoc ornamentum sacri collegii, hoc excitatio ad labores omnes perferendos pro instruendo populo Dei; hæc honorum virorum, virtutem amantium, lætitiâ. Nominas te alumnus, clientem, & servulum.*

Car-

* Joan. Nic. Eryth. Tom. I. n. 47.

* 21. Nov. 1600.

Cardinalis Veronensis, qui doctrinam tuam novit optimè, & est admiratus, qui iudicium tuum acerrimum semper maximi fecit; qui quacumque scripsit, ut non ignoras, tibi legenda & corrigenda tradidit. Epistolam tuam dum relego, agnovi prætermittas à me partes consolationis, propter onus impositum tibi novæ & laboriosissimæ dignitatis: Dominus regit te, o candidissime Præsul, & optime Cardinalis, & nihil tibi deerit. Non deficiet te animi vigor ille, illa alacritas, quam necessariam reris, ut negotium hoc regere possis. Deest nihil, ut tu satis quidem nosti, timentium Deum: cuius misericordia atque clementia efficiet, ut quemadmodum ex ejus destinatione in sacro Cardinalium collegio collegas nos esse conspiciamus; ita & cives demum cælestis Patriæ esse, atque frui simul ejus beatissimo conspectu, lætarique ambo unâ possimus.

Ad eundem ferè modum scripsit Bellarmino Franciscus Maria Taurusius, Cardinalis, & Archiepiscopus Senensis. Numinis providentiâ factum est, inquit, & voluntate atque auctoritate Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ VIII. ut inter Cardinales cooptareris. Nihil erat tam excelsum, quod non tuus iste animus, ac virtus tua mereretur. Cùm semper ultimum ambires locum, is qui convitium paraverat, te promovit, & porrecta manu, Amice, inquit, ascende superius. Amplitudinem istam tuam gratulor ego Ecclesiæ universæ; gratulor Pontifici; gratulor toti collegio Cardinalium: in quod acceptis tot aliis insignibus viris, Pontifex, dum te illis annumeravit, virtutem ipsam accipere & ornare visus est. Nihilominus doleo tuam vicem, dum sanctas occupationes tuas & studia intueor. Solemnes, quibus interesse sacrum collegium debet, cœtus; congregationes, consultationes, negotia vel Ecclesiæ vel Urbis; visitationes acceptæ vicissim & redditæ, multitudo aduenturium, quantam importabunt tibi jacturam pretiosi temporis! Opus erit famulos admittere, rem curare domesticam, obsequi seculo huic, odiosè nimis officioso. Nihilominus in his occupationibus, quæ utilitati Ecclesiæ universæ servantur, potest Cardinalis eruditus & sapiens consilio prudenter dato, & prolata in loco voce unâ, plus prodesse sibi & publicæ rei, quàm si annos plures in secessu religioso latuisset. Foveamus in hoc sublimi gradu illam & mentis & quotidiana vitæ humilitatem, ad quam intra septa religiosa instituti fuimus: ita magis lucebit coram hominibus lux nostræ, tanquam civitas supra montem posita. Generalis Præpositus, ceterique à Societate dolent in familiam suam secundò jam patere aditum ad speciosos titulos & honores; sed progressu temporis, & occasione data cognoscunt, nequaquam id accidisse sine certo Divini Spiritus nutu: neque Pontifex illos, ut spero, simili præterea merore afficiet. Non. Mart. MDXCIX.

Sanè Aquaviva conatus omnes adhibuerat ut Clementem ab eo consilio deduceret: sed ubi perstare vidit in sententia, fretus virtute Bellarmini, & ejus marore lætus, scripsit ad omnes Societatis provincias nihil à se, cui tradita legum nostrarum esset custodia; nihil à novo Cardinali prætermittum fuisse, quod in ea re Societas desiderare posset: declinari Summi Pontificis imperium, excuti honoris tanti onus nulla ratione potuisse: confidere se, quæ Bellarmini virtus erat, fore ut in eum detrimentum nihil ex hac mutatione fortunæ; plurimum vero utilitatis & ornamenti in Ecclesiam Societatemque redundaret: productum humilem Dei servum fuisse ex umbraculis religiosæ vitæ in amplissimum Christiani Orbis theatrum, ut latius eruditionis pietatisque suæ lucem spargeret: Bellarminum, inquit, in Cardinali non perdidimus. Ita facer illum cœtus admisit, ut eum Societas non amiserit, quam eò clariùs illustrabit, eò proteget faciliùs, quò splendidior est ac potentior. Certas extrema in epistola preces omnibus Sociis indicabat, ut res bene feliciterque verteret.

Respondit expectationi & votis Aquavivæ Bellarminus. Vix purpuram induerat, cum ante Christi è Cruce pendentis effigiem stratus humi, decrevit hæc tria. Primum, nihil se mutaturum de pristino vitæ, quem hætenus tenuerat in Societate, cursu: alterum, nullas collecturum opes, aut augendæ rei suæ, aut locupletandis consanguineis; ac si quid superesset, post impensas in familiam necessarias, id levandis pauperibus, aut sacris ædibus ornandis daturum: tertium: majores proventus non petiturum à Pontifice, quàm qui sibi forent principio alligati,

43.

Qualem se præbuerit Bellarminus in nova dignitate.

gnati, nec doni quidquam à viris Principibus accepturum. Hoc postremum statim opere sanxit, oblatamque ab Oratore Hispaniensi, nomine Catholici Regis, pensionem opimam recusavit; pertinere dictitans ad Pontificem Maximum, ut qui se Cardinalem creasset, creatum aleret. Nec ita multo post Cardinalis sanctæ Cæcilie aliquot ei nummorum aureorum millia submisit, quæ uti puris offerbantur manibus, ita puris accipi poterant: at ille nihil retinuit ex eo munere, nisi grati & memoris animi perpetuam obligationem. Priora duo capita servavit eadem fide, ac totius vitæ rationes ita composuit, ut in Cardinali Bellarmino eundem, qui hæcenus fuerat; nec imminutam honore virtutem, sed ornatam & auctam agnosceres. Parcimonia, frugalitas, modestia singularis, in cultu corporis, in expensis mensæ, in reliquo dignitatis apparatu. Jejunium ter in hebdomada; tum toto Dominici Adventus tempore non lenius, quàm in ipsa Quadragesima. Sæpe oleribus vesci, pauperibus erogare quod sibi eriperet: religiosam ubique austeritatem, & caducarum rerum nobilem contemptum sectari, adeo ut non satis splendide tueri locum insignem quibusdam videretur. Notum id Clementi. Quare in omnem imminebat occasionem, instante potissimum Baronio, conferendi novo Cardinali muneris cuiuspiam, quod ita rem ejus familiarem auget, ut pietati campum ingentem & gratum aperiret. Accidit per eos dies ut Capua suum antistitem amitteret, Cæsarem Costam. Cum plerique opulentum & insignem Archiepiscopatum sibi suisve ambirent, Pontifex eum Bellarmino non modo non petenti, sed etiam recusanti detulit. Urgenti Pontifici cessit ad extremum duas præsertim ob causas. Primò quidem ut à Romanæ curiæ luce ac negotioso strepitu longius abesset: deinde verò, quia videbatur ipsi conjunctior ea dignitas cum Societatis nostræ, quibus assueverat, muniis & laboribus in salute animarum occupatis. Gratiis igitur Pontifici actis ab eo ipso consecratus est XI. Kal. Maias MDCII. ac biduo post Archiepiscopali pallio insignitus. Non me fugit alias quasdam à scriptoribus nonnullis afferri causas, quibus impulsus fuisse Clementem opinantur, ut hunc honorem Bellarmino deferret: sed æquitati tanti Pontificis, & ejus perspectæ in Bellarmino benevolentie, parum certè contentaneas. Baronium ferè pœnituit, quod augendas amici cum honore fortunas curavisset, licet eas in publicam rem utiliter & prolixè impendendas non ignoraret; cum vidit ab eo se disjungendum, Capuam proficiscente, ut commissum sibi gregem præfens pasceret. Consolatus est dolorem suum ejus præconio suis Annalibus consignando, ad annum nongentesimum sexagesimum octavum, quo anno Joannes Papa XIII. rogatu Ottonis Imperatoris, Archiepiscopatus ac Metropolitæ titulo Capuanam sedem ornavit. *His diebus, inquit, quibus hæc scribimus, maximum accessit eidem Ecclesiæ ornamentum, dum vacante eadem sede obitu Cæsaris Costæ Archiepiscopi, delectus est à Sanctissimo D. N. Clemente Papa VIII. ad nobilissimæ Ecclesiæ regimen vir doctissimus ac religiosissimus Robertus Bellarminus S.R.E. Cardinalis; virtutum meritis toti Christiano orbi conspicuus; exoptatus votis, collaudatus suffragiis, atque exceptus plausu, illud sacro collegio conclamante, Dignus*

Priusquam Romanæ purpuræ pallium Archiepiscopale Bellarminus adderet, insigne documentum dedit suæ erga Societatem, quam ut matrem optimam observare perrexerit, benevolentie, cum elaboravit, ut ejus fundator in Beatorum numerum solenni ritu reponeretur. Hoc impensè commendatum Præposito Generali fuerat in postrema Congregatione quinta, idque primùm omnium Aquaviva curaverat, ut colligerentur ex omnibus provinciis quæ ad testandam Ignatii sanctitatem pertinerent: deinde jussu ea diligenter expendi, & à prudentibus doctisque viris considerari num ejusmodi essent, quæ cœlitum honoribus digna viderentur. Cum omnes dignissima esse respondissent, operam dedit ut ad Romanam Congregationem, quæ sacris ritibus præest, de illis referri Pontifex peteretur. Interim anniversaria lux recurrit, qua parentis optimi obitum Societas recolebat. Invitatur Bellarminus, ut verba de illo privatim in Patrum confessu facere ne gravetur. Aderat Cæsar Cardinalis Baronius, Bellarmino conjunctissimus, idemque singulari erga Ignatium pietate. Disservit Bellarminus ea qua-

sole-

solebat eloquentia, plena succi & roboris, notas explicans voces, *Amavit eum Dominus & ornavit eum; solum gloria induit eum*: deque Ignatii prædestinatione, ex amore Divino profecta; tum de virtutum ejus ornamentis, ac demum de ipsius gloria & virtutum præmio, multa eruditè ac piè congescit. Ubi finem dicendi fecit, quasiivit Cardinalis Baronius à Patribus qui frequentes, oclusi templi foribus, audiebant, cur nulla esset proposita publicè ad venerationem imago Ignatii. Objicientibus religionem Patribus, & metum ne Sedis Apostolicæ judicia prævenirent; Vos vero, subjecit Baronius, isto solutos metu volo: simulque Beati Patris effigiem postulat, veneratur, supra tumulum ejus appendit, procidentibus in genua cunctis qui aderant, & arcano quodam instinctu ad venerandum concitatis, præcunte ipso Baronio, & humum tumulo subjectam deosculante. Nec iis contentus, eodem die sub vesperam populum è superiore loco alloquens in aede sacra Oratorii, sermonem intulit de Ignatio, & ad ejus venerationem omnes cohortatus est: demum in sacra rituum Congregatione, quæ tri-duo post, nempe III. Nonas Sextil. anni MDXCIX. habebatur, palam quid egisset prædicavit, suumque factum veteribus exemplis & recentibus confirmavit. Movit auctoritas tanti viri sapientissimos Cardinales, conditumque fuit protinus decretum in hæc verba: *Sacrorum rituum Congregationem, cum justas postulationes non semel à Societate propositas, perlectis consideratisque ejus rationibus, inter quas multa numerabantur miracula, & præclara fama sanctitatis Ignatii proponebatur, considerasset: itemque adeo sanctæ & ab tot Pontificibus approbata Religionis, quæ per totum terrarum Orbem tanto cum fructu, doctrina evangelicæ semen, atque etiam proprium sanguinem spargens, universa Ecclesiæ doctrina & exemplis magnas affert utilitates, fuisse eum fundatorem animadverteret: nec non magnatum ac principum & populorum, maximeque ipsius cuncta Societatis respiceret preces, consensisse, si Pontifici videretur, Pontificio in Hispania Nuncio, unico Archiepiscopo, & tribus quatuorve Episcopis earum terrarum, ubi natus esset, atatemque egisset Ignatius, dandum negotium, idemque illustrissimo Rome Vicario permittendum, ut generatim de vita, sanctitate, famaque miraculorum ejus cognoscerent: quo deinde referretur ad Pontificem, & causa canonizationis inchoaretur.*

S. VII.
BEATI APPELLATIONE
FUNDATOR SOCIETATIS
ORNATUR.

*Proverb. c. 4.

CARDINALIUM Baronii & Bellarmini vota de Societatis Fundatore in cœlitum numerum referendo, audita sunt anno MDCIX. quo Beati appellationem D. Ignatius, Romanæ Sedis oraculo, & summa gentium omnium gratulatione, adeptus est. *Iustorum semita*, inquit Sapiens, *quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem* *. Ut enim dies pulsa nocte sensim augetur, donec sol altius assurgens terras ad plenum collustret: ita Sancti, dum hic versantur, amant latere, & uni divinæ gloriæ intenti, de sua non cogitant, nisi ut illam Christianæ humilitatis umbris obtegant. Ea quasi nocte transacta, erumpit virtutis nativa lux è sepulcri tenebris; honor habetur frigidis emortuisque cineribus, & in ipsis tumulis, ubi regnare mors videtur, vitam ac sanitatem mortales afflicti reperunt. Hæc velut aurora gloriæ Sanctorum est. Subeunt illustria deinde prodigia, quæ nomen ipsorum & famam longe lateque diffundunt: res illorum præclare gestæ mandantur litteris, & ad posteritatis memoriam propagantur. Demum crescit eadem lux, & ad plenum veluti meridiem procedit, cum donantur cœlitum honoribus, cum Beatorum inferuntur factis, cum ipsorum imagines & exuvie sacra ad publicam venerationem altaribus imponuntur. Hos gloriæ gradus cum in ceteris passim Sanctis, tum in B. Ignatio præsertim observare licet. Nemo sui nominis & honoris magis illo negligens, dum viveret; imo contemptor & inimicus magis fuit: unam Dei majorem gloriam & sectatus est ipse, & suis sectandam proposuit. Mortuum ejecti corporibus demones, depulsi morbi, levati parturientium dolores, plenus miraculis Oriens & Occidens illustrarunt. Quem Beatum tot prædicabant ora, tot sonabant voces, Beatum anno MDCIX. Roma dixit, VI. Kal. Sextiles, & Officio Missæque colendum Orbi dedit, *Ob excellentem, inquit Summus Pontifex, sanctitatem ejus vitæ; atque ob miraculorum coruscationem, quæ Deus ejusdem Ignatii meritis & intercessione, tam dum viveret, quam post, operari dignatus est, & quotidie adhuc operari non dedignatur.*

Ea

Ea felix appellatio, tot Regum ac Principum, tot populorum expetita votis, cum primum Pauli V. Summi Pontificis oraculo edita est; tunc, veluti ruptis aggeribus, effudit se mortalium publica pietas erga hominem salutis publicæ nam, & omnibus latitiæ argumentis, omnibus monumentis gloriæ, beatum nomen prosequi urbes, regna, provinciæ, certaverunt. Roma, princeps urbium, ceteris præluxit. Exemplum secuta Neapolis quidquid pompæ ac celebritatis excogitari potuit, exprompsit. Prorex, urbana cohortes, nobilium turmæ, religiosi Ordines, civium innumerabilis multitudo templa Societatis impleverunt. Sub vesperam arsit tota civitas innocuis ignibus, qui additi fenestris domorum, sparsi per compita, in pugnatis theatrisque collocati, varia spectacula dedere gratulanti populo, & somnos ac noctem procul expulerunt. Suas partes postridie pelagus obiit, concurrentesque frontibus inimicis amicas rates, & ficta ludentis in æquore placido Martis pericula, exhibuit. Siluerunt tetricæ lites ac triste forum diebus multis: audita tantum sunt plaudentes in lyceo Musæ, & literariis muneribus publica gaudia certatim ornare gestientes. Auxit latitiam confluens è vicinis oppidis pagisque turba, cum donariis & anathematis, quæ passim aris ac tholis appensa præclaram de B. Ignatio populi existimationem, & memores acceptorum ab eo beneficiorum animos testabantur. Par in aliis Europæ urbibus latitiæ significatio, par pompa. Ignatii vita, virtutes, res præclare gestæ hic aulais intextæ, illic productæ in scenam; alibi symbolis ingeniosis adumbratæ; in æs ac marmor incisæ, in vexillis auro & ostro micantibus depictæ, patuerunt. Longum sit referre arcus triumphales erectos, obeliscos, machinas exoticis figuris ornatas, trophæa, pyramides; festos abeuntium in omnes formas varietate mira ignium ludos; illustres pietatis, ingenii, doctrinæque partus editos in Lusitania, Hispania, Gallia, Belgio, Germania, Polonia; nullum ut elementum, nullum hominum ordo, nulla pars Orbis vel remotissima, in communi gaudio cessaverit. India, Sina, Japonia, Peruvia, Mexicum, Philippinæ, obsequii sui tarditatem (nam diploma Pontificium nisi anno sequente illuc delatum non est) magnificentia spectaculorum & splendore compensare studuerunt, ac nativas opes; aurum, uniones, gemmas, in eo colendo bene collocatas putaverunt, à cujus filii & alumnis cœlestis regni gazas & spem beatæ immortalitatis acceperant.

Mortalium studia coelum comprobavit prodigiis inusitatis, & quæ sparsa fuerant præteritis annis miracula, in hunc veluti collecta fluxerunt. Fabri compluribus in locis dum extemporales machinas incautius properant, è tabulatis sublimibus aut scalis prolapsi, Ignatio, cujus gloriæ serviebant, quasi manu supponente, non incolumes modo, sed valentiores ad opus redierunt. Adolescentens Neapolitanus alimenta factitiis ignibus parabat: manu improvisa flamma fœde violavit: admoto B. Patris chirographo sanata recepit. Matriona Neapolitana mortuam, ut putabat obstetrix, prolem eniti non poterat. Vir prolis & conjugis periculo mæstus opem divinam, Ignatio sequestro & interprete, suppliciter exposcit; mæror ac defatigatio somnum attulit: in eo videre visus est Ignatium Deo supplicentem pro puero, ne æternum periret. Simul auribus insonat vagitus puerilis. Surgit; infantem, salva conjuge, prorupisse cernit. Sacro confestim lavacro tinctus mortalem uno die clausit vitam, idcirco exoratum, ut immortalẽ ac sempiternam viveret. Donaverdæ cum jam restituta religio pristinum decus recuperasset, matriona prægnans, comitiali morbo repente correpta est. Obstetrices vocatæ & matrem & fetum desperaverant. Curritur ad nostros: mulier interim moritur. Maritus datas à Patribus S. Ignatii reliquias uxoris è collo suspendit: infans manum ex utero profert ac baptizatur. Oeniponte, femina intempestivos ejicere solebat fetus: votum concipit, si virilem edat maturo partu sobolem, fore ut Ignatii nomen illi ponat: edidit; imposuit. Tarracone, Nanceii, Avenione, Valentia, Ilerda, Majoricæ, Madriti, Lima, ad Ignatii nomen & sacros cineres, morbi, febres, vulnera, diffugerunt. Multis restituta oculorum, aurium, vocis, pedum, usura. Potofinus civis toto jam quadriennio pedibus niti non poterat, neque gressum vel unum moliri, nisi gemino bacillo sustentatus. Is audita tripudiantis populi, & Ignatium salutantis Beatum

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

Vu

ala-

44.
Novis prodigiis
novum B. Ignatio
nomen concessum
illustratur.

alacritate: Egone, inquit suspirans, unus hic jacebo constrictus, exultante civitate! Sentit media in voce firmari pedes: unum scipionem projicit, mox alterum; denique in collegium, ut nostros miraculi faceret certiores, advolavit.

Nobilem Hispanum, aurifodinæ præfectum, ignota sicariorum cohors invaserat. Equo deturbatum gladiis punctim cæsumque feriunt. Ille tot impar hostibus, unum Ignatii nomen savientibus objecit. Adfuit Ignatius ipse, & clientem visus protegere, ictus hostium retudit, quorum inanis furor in Hispani veste lacerata stetit. Dinantium, civitas Britannia Armorica cœnobio virginum, quæ sanctæ Clara instituta sectantur, celebris est. Ex iis una quædam cum diuturna ægritudine confisteretur, casu incidit in S. Ignatii vitam. Legit; miratur & virtutum exempla, & collata divinitus in hominem unum beneficia multo maxima. Hinc illius apud Deum gratiam & auctoritatem æstimans, venit in spem obtinendæ tanto patrono valetudinis. Implorat opem; valet; gratiisque rite, cum omni virginum choro persolutis, litteras miraculi testes Societati dedit. Accitus in Granatensi collegio, ad ægroti confessionem excipiendam, P. Andreas Zea, reperit miserum exiisse de potestate. Continuo positus humi genibus, à Deo per S. Ignatium enixè petit, ut mentis sanitas tandiu rediret ægro, dum confiteri peccata, & absolvi posset. Sibi statim restitutus æger deposuit noxarum onus, quo levatus in pristinam insaniam recidit. Collegii Mexicani rector gravior ægotantem feminam eodem, quo P. Andreas Zea, remedio curavit, nempe S. Ignatii potentissimo patrocinio. Illa se Orco devoverat, cum in carcerem fuisset congesta; & oblatam possessionem dæmon accepisse videbatur. Nam præter incompositos, quibus bacchabatur, motus; peregrino & erudito sermone proletaria mulier utebatur, aperiebat animorum arcana, subtiliter & acute de rebus abditissimis disputabat. Rector scriptum in charta nomen Ignatii ejus capiti admovit. Diu obluetata, demum quieta mansit octo dies, vitæ crimina confessione deterfit, & in eum novissimis munita sacramentis locum, ut spes est, excessit, quo aditus humani generis hostibus nunquam patet. Vienna in Austria familiam nocturna larva perturbabat, sæpe hominis vultum, alias alium induens: sæpe fugiens oculos, auribus immani murmure obstrepebat; vestes, stragula, supellecilem dissipabat; petebat obvios lapidibus, raptabat per humum, sublime tollebat. Transacto funestis inter tumultus mense, dominus ædium ad nos venit, tentatis frustra remediis pluribus. Datur S. Ignatii effigies; affigitur eo maxime loco, ubi nocturnus fragor sæviebat: non inde tantum sed reliqua domo tumultus omnis, ac diræ lemurum præstigiæ in perpetuum exularunt.

S. VIII.
S. FRANC. XAVERII
BRACHIUM
ROMAM DELATUM.

ANTEQUAM alia pleraque simillima istis miracula referamus, narrandum restat quo pacto Romam ex India delatæ fuerint anno MDCXV. insignes S. Francisci Xaverii reliquiæ, brachium nempe dextrum, quo vir Apostolicus tot ediderat miracula, tot ethnicorum millia salutari baptismatis aqua laverat. Hoc ornandam thesauro Urbem Claudius Aquaviva censuerat: ut, cum integrum Xaverii corpus Oriens possideret, ejusdem aliqua parte Occidens fruere, à quo totus Orienti Xaverius datus erat. Goani Patres, veriti ne quid oriretur tumultus à civitate, si res palam fieret, quippe quæ Xaverii corpus incorruptum à tot annis, tanquam Palladium suum custodit; nocte tacita in ædem sacram, ubi corporis beati depositum asservatur, se contulerant III. Nonas Novemb. an. MDCXV. Contremuit ædes tota ter, & ingenti metu omnes concussit. Cum trepidi referrent pedem, unus animosior ceteris, vocem tollens, orare sanctum institit, ut qui suis majoribus tam audiens dicto semper fuisset, eandem obedientiam demonstraret exemplo memorabili, nec sacri corporis partem Europæ supplicanti denegaret. Visus est annuere Xaverius: & sedato terræ motu, Patres ædem ingressi partem brachii, quæ protenditur a cubito ad carpum, cum ipsa manu defecerunt. Caro mollis & lenta, ut corporis vivi, apparuit; fluxitque rosei & puri sanguinis magna vis; quam linteo reverenter exceptam Patres ad Philippum IV. in Hispaniam miserunt. Cariorem gemmis omnibus Indicis gazam aureo involutam panno, & pretiosa inclusam theca, Patres in navim impulerunt. Datum negotium beati pignoris deferendi P. Sebastiano Gonzalez, rectori do-

mus Probationis Goanæ, qui petebat Urbem Indiæ provinciæ procurator. Navis, licet parum firma, felicissimum inter medias tempestates cursum tenuit, atque adeo inter prædones maritimos, omnibus procellis formidolosiores. Eorum subitam vim coelestis, quod portabat, doni præsentis tutelâ effugit. Inciderat in Batavorum ratem rebus omnibus instructissimam, cui neque certando, neque currendo, par esse poterat. Jam instabat hostis, jam prædam oculis devorabat, ac spe; ita ut voces appropinquantium ac minâ exaudirentur: cum Pater Gonzalez eductum è sua theca brachium sublimè tollens, miraculorum effectricem Xaverii manum hostibus, tanquam telum intentat, in summa stans prora, vectoribus in genua circum undique provolutis. Mox imperiosa voce consistere prædones jubet, Indiarum Apostoli nomine, nec ulterius progredi. Mirum! Hostilis myoparo, plenis impulsus velis, ac citatissimo impetu volans, hæsit in eodem vestigio, ut si marmoreum æquor fuisset. Gonzalez cum suis, ferente vento raptus, è prædonum oculis evanuit. Sacrum onus Olisipponem delatum, inde Romam, ingenti omnium ordinum concursu & gaudio exceptum est, ac visitur etiam nunc in æde Romana Professorum, publicæ venerationi propositum, & prodigiis celebratum, in pulcherrimo sacello, quod peculiari erga S. Franc. Xaverium pietate ductus extruxit, ac novis in dies ornamentis augere pergit Joannes Franciscus Negronius Cardinalis, inter sacri collegii Patres purpuratos splendore generis, & rerum quas pari prudentia & felicitate gessit, amplitudine clarissimus. Illic, opinor, gaudet Xaverius redditum se aliqua saltem sui parte Ignatio, carissimum filium amantissimo parenti, cujus beatos cineres oppositum sacellum servat: ut quos divinæ gloriæ studium toto velut Orbe disjunxerat, eos Numinis Providentia post obitum summa utriusque voluptate conjunxisse videatur.

Sacrum pi-
gnus mira-
biliter præ-
donum in-
cursu libe-
ratur.

§. IX. Nonnulla miracula per S. Ignatium edita.

Ab anno MDXCI. ad MDCXVI.

Pater illa, qua proxime retulimus, per S. Ignatium edita miracula, pleraque alia recententur in Actis tunc editis, cum in Sanctorum numerum est relatus: pleraque publicis urbium ac provinciarum tabulis, aliqua privatis nostrarum domorum litteris ac monumentis consignata sunt. Ex iis omnibus selecta quædam, ad postremum hoc tempus Aquaviæ pertinentia, coniecimus in eundem hunc locum, ne rerum aliarum narrationem sæpius abrumperent, si eo, in quem incidunt, anno fuissent explicata: reliqua sequentibus annis & Parti VI. reservabuntur. Porro hæc miracula videntur ad tria præcipuè capita revocari posse; I. Ad opem feminis ægrè parturientibus allatam: id enim apparet D. Ignatio divinitus concessum, ut qui moribus bonis instruendam pueritiam fumpfit, is ad pueros in lucem evocandos peculiari apud Deum gratia valeat. II. ad abactos corporibus, ædibusve demones. Nam in eos singulare pariter imperium B. Pater, etiam dum viveret, exercuit. III. ad sanatos morbos, retardatam mortem, varia pericula propulsata.

45. Infantes ope S. Ignatii feliciter in lucem editi: levatus labor ægre parturientium.

Valentianis in Belgio gravida mulier humi prolapsa, fetum vel opprefferat vel debilitaverat, anno MDC. Doloribus acerrimis, per dimidium convulsam mentem, post appensam collo thecam reliquiarum B. Ignatii, levata partu est: sed infans nullum, quo vivere putaretur, signum dabat: eidem admodum sacræ reliquiæ motum reddiderunt. Baptismo expiatus diebus adhuc aliquot superstes fuit.

Viennæ in Austria anno sequenti mulier, infante partu, jacebat sextum jam diem capta oculis, auribus,

voce. Admoveret collo charta nomen Ignatii, olim ab eo scriptum, gerens. Erigit se continuo, videt, audit, loquitur, ac puerum feliciter enititur.

Ipris, in Belgio, uxor asperos mariti mores non ferens, proli, quam utero gestabat, ac sibi, male precata fuerat anno MDCIV. Vota temere concepta sæpe Deus ultor audit. Exactis mensibus, parturiebat ægrè, nullis remediis partum adjuvantibus. Agnovit infelix diras preces, & mortem, quam sibi & fetui consciverat parricidalis voce, prætolabatur. Circumstabant feminæ complures è vicinia. Unam ex illis cogitatio subit ac fiducia reliquiarum S. Ignatii, quas à suo fratre, Societatis sacerdote, acceperat. Eas, collo parientis apponit: læta & sana partum reddidit. Gratia Numinis & S. Ignatio perfoluta; res publicis tabulis mandata. Mulier non obscuro loco nata mortuos fetus quater enixa jam fuerat Monachii, anno MDCX. Cum quintum parturiret, hydrope corripitur. Eo proles suffocata, & visceribus clausis hærens, certum parenti miserè minabatur exitium. Invisit Sancti sacellum, rediit sana; & onere ac periculo liberata.

Josephus Avignanesius, Montis-Politiani primarius civis, cum optata careret prole, ac sterilem doleret uxorem, venit in templum Societatis ipsi kalendis Januar. anni MDCXII. Alia omnia cogitanti subit petere ab Ignatio filium. Petiit: obtinuit. Sed infans mortuus eductus est. Orat Ignatium mæstus patrens. Revixit infans, & eum bis à Divo sibi concessum exclamans pater, votum rite solvit.

Barcinone mulier eodem anno dolore partus exanimata credebatur. Imago B. Patris illi vires ad partum edendum attulit. Omnes in letitiam effusos repentinus turbavit mæror, quod infans, qui vix emerferat, motus omnis ac sensus jaceret expers. Eandem igitur imaginem imponunt puero, qui gemitu vitam testatus, astantium letitiam redintegrait.

Avenionensem puerperam votum non dissimili periculo exemit. Prolem in ejus alvo arbitrati mortuam

medici edixerant educendam per excessum matris latus. Illa ferali edicto conterrita, obortis lacrymis tristem sententiam deprecabatur, cum admonita de implorando B. Ignatii patrocinio, concipit rite piarum precum, & prolem vivam læta ejicit.

Femina Xerensi fecunditas sua gravis erat: nam decies jam abortum passa, infelices debebat fetus, mortalis vitæ atque immortalis exsortes. Undecimam prolem Divo commendat, & sacrum ad illius aram, imminente hora puerperii, faciendum curat. Ex voto planè cecidit, ut ea ipsa hora, qua sacerdos faciebat ad Beati aram, matre incolumi vivus infans prodiret in lucem, & salutis fonte tinctus, vitam ad aliquot dies propagaret.

46. *Dæmones per B. Ignatium corporibus domicilijque pulsæ: eorum vis compressa.*

Melitæ degebat, anno MDCL flagitiosus adolescens, alexæ deditus, & prava ganeonum familiaritate implicatus. Suscepta cum illis rixa, male multatus, & iræ impotens, Orci dominum appellat vindicem injuriæ, seque illi totum devovet. Adest enimvero vocatus prædo Avernalis, qui nec vocatus, ad perniciem ubique nostram excubat; in oblatam ultro possessionem irrumpit, nec miserum adolescentem dies noctesque vexare desistit, ac suadere, uti daret se præcipitem ex editiore loco. Parentem & violentæ necis scelerata consilia palam agitantem sodales, adolescentem vicem miserati, arripiunt, & in collegium deducunt ad Patres, qui suspensis è furentis collo Sancti Ignatii reliquiis, abegerunt infandum hospitem, & redditum bonæ menti juvenem sacræ confessionis remedio penitus sanaverunt.

Lemures infesti religiosam eodem anno vexabant domum Avenione. In templo, in claustris, in triclinio, dirus lapidum imber depluebat interdium: lucem excipiebat inquieta & turbida nox. Cerneret aperiri occultis manibus fores, lectos everti, vasa disjici, suppellestem è suis depromi armariis, omnia tumultu cæco misceri. Mæsta & trepida familia Superos votis precibusque fatigabat. Ecce autem illo ipso die, quo propositum à sacerdote S. Ignatii simulacrum fuerat in æde nostra, istius cenobii alumnus (scholas enim nostras studiorum causa frequentabant) cum uno è collegii Patribus deplorabat domesticos tumultus, & nunquid occurreret remedii quærebat. Cui sacerdos S. Patris imaginem in manus tradens, addit solitum Ignatium, cum inter mortales negeret, mirum quoddam in tenebrarum potestates imperium exercere: proinde munimen hoc & propugnaculum suo conclavi prætendat, ac bono animo sit. Præterdit, ac somno benignè fruitur, quem à diebus multis non viderat. Eius sodales, re comperta, effigiem amplo conclavi præfigunt, in quod omnes tanquam in arcem inclusi, nocturnos illos terrores proci in ultimas ædes abscessisse fenserunt: quos demum abegerunt penitus, postquam hospitem imaginem per totam domum suppliciter circumtulere.

Non procul Massilia, feminam diris vexabat modis Tartari satelles improbus, & in occupata inferi corporis possessione jam decem annos hærebat. Societatis sacerdos reliquiarum thecam probe clausam, in qua crines aliquot S. Ignatii delitecebant, mulieris collo inseruit. Illa furere, vociferari, uri. Væ, væ, inquebat, isti comæ. Jussa declarare cujus comam diceret; nunquam potuit adduci, ut eum nominatim appellaret: per ambages tamen satis indicavit; neque nomen Ignatii pronuntiabatur, quin metu coheresceret, procumberet in genua, & contra quam alias solebat, imperata dicto citius faceretur. Edidit demon tam iniustæ formidinis & obedientiæ causam, ne scilicet gravissimè torqueretur, si hominem videretur contemnere. Alius incola ejusdem Tartari, Colonienfi puella necem sibi consciscere meditantem oblatum, & humanam specie aspectabilis, cum vias deformis leti plurimas illi aperiret, coactus est prædam prope desponsam omittere, postquam virgini dedit unus è Sociis epistolam, cujus in clausula nomen olim suum Ignatius apposuerat. Instare demon ut inutilem abiceret chartam, qua vexari se ac discredari clamitabat, cumque tanto magis eam virgo retineret, elusus aufugit. Venefica nescio quid maleficii molita Bruntruti,

cum flammis addiceretur, confessæ est nunquam se in cubiculum inferre pedem potuisse, ubi reliquiarum Ignatii theca servabatur. Eius vim ipsi dæmones apertius testati sunt Optæ, quod Castellæ Novæ oppidum est. Ibi femina, iræ impotens, filiam satellitibus Erebi tradiderat anno MDCIV. Possessionem confestim duo dæmones adierunt. In ædem sacram collegii puella furens pertrahitur: adhibentur Ecclesiæ arma, sacri exorcismi, exuvie Divorum insignium. In illis profertur epistola, manu S. Ignatii exarata, quam cum virgo invitæ & diu reluctans accepisset, dæmon se discessurum exacto mense promisit. Stetit promissis; vix est puella tristi jugo penitus crepta. Ecce autem paucis post mensem elapsis diebus, rursus furere ac bacchari. Reducitur in templum. Ibi cognitum est Erebi duos incolas diram possessionem inter se se fuisse partitos: ejectionem quidem fuisse unum, ac potissimum Ignatii meritis, quia unus duntaxat appellatus & exire jussus erat: alterum à Divo Xaverio pulsatum tri. Cujus imago ut est allata, dæmon humi abjectus, quasi arcana vi raperetur, processit, ac sacram effigiem deoculatus, Jam, inquit, jam excedo: vos quicumque hic adestis moneo (miserum me, qui prodesse vobis, & ista denunciare, cogar!) moneo, inquam, ut impias fugiatis voces, ut sanctiorem vivendi viam inenatis, ne in abyssum, in puteum, in stagnum sulphureum, vestra vos scelera detrudant: tot enim sunt, tam horribiles illic penarum forme, ut eas qui vel obiter lustrasset oculis, nemo unus peccaret. Hæc manu & voce contenta effatus, siluit, quodque molestissimum dæmonibus accidere solet, cervicis conculcandas præbuit. Puella dudans, defecta viribus, linguam exertans, jacuit aliquandiu; ac paulo post valens & læta surrexit: cohorescente, quæ aderat cum Prætoris civitatis, ac religiosi viris compluribus, multitudine.

Novellaria languere æger à medicis depositus, quem veneficorum infandis artibus de mentis corporisque sanitate deturbatum ferebat fama. Horrendos edebat clamores; totum corpus incomposito mori jactabat, ut nulla spes esset sacri olei, quod restabat unum, adhibendi. Aderat sacerdos è Societate. Is in genua provolutus, & Ignatii nomen, ab eo quondam epistole subiectum, depromens, facillè dæmonem jubet. Continuo sibi restitutus æger quievit, oravit, inunctus est.

Pragenfis mulier matrimonio juncta, ut negatam à natura prolem susciperet, magicas ad artes confugerat. Concepit illa quidem numerosos fetus, sed omnes non sine maximis doloribus, & gravissimo vitæ periculo, mortuos ejiciebat. Atrociores anno MDCVII. dolores perulit, nec tamen solitum cadaver poterat effundere. Mortuaria sacerdotem è nostris accessit. Ille miseram primum hortatur, ut nefandas artes detestetur. Tum ejus oculis objicit in tabella descriptum Ignatii nomen, quod præpedita morbo lingua non valebat appellare. Oculis Ignatium & suspiriis infelix mater vocat. Vocatus adest. Infantis putridi deformis massa prorumpit è vivo viscerum tumultu: nec ipsa tantum præsentem liberata nece fuit, verum etiam id confecta, ut sospites partus ipsa sospes deinceps ederet. Est inter collegii Colonienfis gazas, verus ac detrita S. Ignatii toga, quam P. Leonardus Kestellus illuc Romæ detulit. Ea cum sæpe aliàs periclitantibus adhibita, tum vero mulieri, quam malus dæmon tenebat obsessam, saluti fuit anno MDCX. Furebat prædo Tartareus impune, instantemque sacris carminibus sacerdotem non audiebat. Ubi togam humeris feminæ sensit injectam, obriguit, & noctu tacitus evasit. Panormitanus adolescens animarum prædioni deditionem scripto exaratam suo & sanguine fecerat. Resipuit, infandamque recessit passionem. Sed ut difficiliter ejicitur semel acceptus hostis, quam admittitur, retinebat possessionem antiquam dæmon, licet occultioribus modis, & juvenem ad immania scelera propellebat. Aquam ebibat sacris Ignatii reliquiis imbutam. Felici haustu scelerum imagines omnes deterfæ momento sunt. Eandem aquæ simili vim inest adolescentem Siculus, incendio libidinis æstuans, expertus est.

47. Sanati morbi, depulsa pericula, ope
at patrocinio S. Ignatii.

ANNO MDC. matrona Senensis diuturno victa morbo, jam funeris ordinem sui præscriperat, plangente familia. Votum nuncupavit de argentea imagine ad Ignatii tumulum transmittenda. Eadem die convalluit, ac tumulum, quem aperiri sibi jam jussit, feliciter clausit. Filiam cum proxima luctantem morte sanam recepit eadem arte Mutinensis mater, & beneficii testem puella statim ex argento, Romam misit.

Cum primum Catana imaginem B. Ignatii populo propositam aspexit, anno MDCL. statim ad facram effigiem, quasi ad salutare signum, preces multorum & vota non irrita confluxerunt. In his præcipue memoratur puella oculis capta, quibus admota felix imago clarissimam lucem restituit; veteri caligine, quam nulla discutere multis annis remedia potuerant, momento depulsa. Fecit animos iste successus alteri femina, quam exstans è fronte immane ganglion miserè deformabat: appressit imaginem beneficam: detumuit frons, ac ne vestigium quidem pristini tuberis apparuit. His prodigiis excitata erga Ignatium pietas ad vicinas insulas brevi permanavit. Alguarense collegium est in Sardinia: hujus in templo ante beatam effigiem accensa lampas ardebat, cui alenda certam olei dotem matrona nobilis assignaverat. Accidit ut ejus filiolam enatus è collo tumor, & fauces obfessas constringens, in vitam periculum adduceret. Mater, flagitante filia, salutaris olei guttulas tres collo affudit: redidit illico tumor exitialis: relicta tantum sunt guttaturæ notæ, testes miraculi. Ejusdem olei salutarem morbis gravibus, præsentemque medicinam variis in locis ægroti complures experti sunt. Dominicus Grimaldus, quæ familia Genueus magnam ab antiquitate commendationem habet, acri febre correptus B. Patris reliquias illi objecit, eamque fugere compulsi. His tamen amotis, cum febris rediret, repetitis & repositis ita fugata est, nunquam in reverfa sit. Missa fuit Romam argentea tabula, votivum munus, index beneficii.

Erant anno MDCL. Sacerdos Avenione, eruditione singulari, nec minori virtute præditus, sed quam sui obcurabant nevi, & quidem ab eo ipso, quem sedabant, non observati. Nam ita uluvenit, ut quemadmodum oculus, quo cernuntur cuncta, se ipse non cernit; sic animus noster ignoret vulgo se se; & quamvis in se posse intrare, sæpe nolit. Is igitur gravi morbo correptus, visus est Virginem Deiparam videre mitantem, & exoptulantem quod sua sæpe monita negligeret; indignum esse cui valetudo, quam postulabat, restitueretur. Adesse visus pariter S. Ignatii, ad Virginis provolutus pedes, patroni supplicantis ritu. Hic interfecta Virgo ab ægrotis sciscitatur, quam spem faceret vitæ melioris, si leto instanti eximeretur: cumque affirmaret æger omnino fore sibi curæ, ut ea gratia, siquidem in immerentem, certè in ingratum collata non esset, idemque pro cliente suo sponsor Ignatius confirmaret, ratum supplicis votum habuit Deipara: & inane visum non fuisse reddita momento salus declaravit. Beneficium prædicare non cessavit sacerdos pius juxta & prudens: quod ut ostenderet acceptum se referre S. Ignatio, ejus imaginem in templo Societatis Avenionensi exstare voluit, grati ac memoris animi perenne monumentum.

Puer Mutinensis illapso in fauces, dum vescitur, spina suffocatus, animam agebat. Trepida mater in subito periculo humana desperans auxilia, reliquias S. Ignatii, quas ab ipso Præposito Generali Societatis acceperat, promit, faucibusque obstructis adhibet. Spina velut celesti educta manu fauces libera, nullo doloris aut vulneris manente vestigio, reliquit.

In urbe & agro Gandiensi duo & septuaginta miracula locupletibus comprobata testibus in publicas tabulas eodem anno MDCL. relata sunt: quorum fama permoti cives Manresani, apud quos Ignatius tirocinium quodammodo vitæ fancioris posuerat, Xenodochium annua ejusdem commemoratione, ac præclaris virtutum exemplis veluti consecratum, coemerunt, ac

Societati utendum, cum vicino templo, possidendumque tradiderunt. Illorum adhuc nonnulli, quos vivax in eam usque diem senectus proclerat, edita quondam à B. Patre humilitatis, penitentiae, & caritatis, documenta renarrabant læti nepotibus; & quod ipsi præstare non potuerant Ignatio, ejus filiis in civitatem suam accipiendis, libentissimè tribuerunt. Retulisse gratiam Ignatius tanto amplio credendus est, quanto vim è celo bene de mortalibus merendi majorem obtinebat. Sed qui tam liberalis erat in externos, nequaquam in suos parcus exstitit. In festum domus probationis Villagarcienfis annum MDCL. morborum gravitas & multitudo faciebat, ut Beati patris beneficentia illustrior eluceret. Duodecim è nostris, ibi fere jam depositos, sacra illius reliquiae metu ac periculo liberarunt. Ipse Rector domus, dum concionem pararet habendam in templo nostro, quod splendidissimo apparatu curaverat exornandum, ad celebrandam diem S. Parenti sacram, repente diro apostemate oppressus, & in lectum dejectus est. Concionandi provinciam alteri demandare meditans oravit S. Ignatium, ut in celebritate festa lucis, voci suæ locum aliquem esse vellet. Hæc dicentem arctior solito somnus complexit: quo discusso, maturuisse apostema deprehendit: nocte insequenti ruptum penitus, ac persanatum sensit, parataque Sancti laudes recentis prodigii prædicatione cumulavit.

Èo fuit illustrius beneficium Alphonsi Vela, domestico Societatis adjutori collatum, quod non corpori, sed animo graviter laboranti salus fuerit restituta. Versabatur ille in collegio Biaticensi provinciaætica. Tadio sensim obrepente victus, de Societate deferenda cogitabat: neque jam aut amicorum preces, aut adhortationes præsidium ulla audiebat. Instabat funesta dies, quæ ovem perditam à sacro divulsam grege luporum inhiantium prætidis faucibus objiceret, cum ex amicis unus enixè ab illo flagitaret, ut ne gravetur ante S. Patris imaginem, recitata saltem oratione Dominica, illi commendare quidquam animo ageretur. Morem gerit, magis ut obsequatur amico, quam quod inde quidquam expectaret auxilii. Sub noctem ingravescit maror: ira, lacrymæ, mista pudore desperatio, miserum convellunt. Erumpit cubiculo, & in vicinum hortum, ubi conceptum dolorem liberius effunderet, evadit. Ibi S. Ignatii species improvisa oculis objicitur. Noctem dimovit circumfulsa lux, quæ micantem vultum facile aspectabilem dabat. Compellat ore blando Velam, & quorsum à Societate sua deficere velit, rogat. Offusas menti tenebras paulatim depellit, eoque demum suadendo, munitando, pollicendo, perpellit, ut se in amantissimi parentis pietate futurum, & in fide, quam pridem Christo dederat, mansurum sanctè promittat. Stetit promissis, nec Societatem nisi cum vita, dimisit. Rem apud Episcopi vicarium, collegii rector, & sacerdos è nostris, qui Vela à sacris confessionibus erat, jurejurando testatam, ut exstaret beneficii memoria, litteris consignarunt. Stola S. Patris, qua indutus Divinam rem faciebat, à Præposito Generali donata Conimbricensi collegio, præsentem ægrotanti sacerdoti è nostris operam tulit anno MDCLII. Huic brachium sic intumuerat, ut periculum esset, ne latens virus, & majoribus in dies gliscens incrementis, brevi ad cor caputem profuere, cum certissimo vitæ discrimine. Tumorem ac metum obvoluta brachio stola depulsi. Inclusum fuit dulce pignus eleganti theca, simul cum epistola de virtute obedientie, quam S. Ignatius eandem olim in urbem missam, sua manu subscripserat. Hieronymi Jossæ, qui minoris Balearis præfecturam multis annis gessit, filiolam septem ulcera, collo circumjecta, miserè cruciabant; jamque sanies in pectus destuebant, medicis desperantibus. Mater Ignatium pro salute filie deprecata, pulverem è spelunca Manresana sumptum, ipsius collo femel iterumque asperfit. Egerunt ulcera, cicatricibus, quasi ad memoriam prodigii, relicta. Illud insignis. Matrona Gandiensis antequam mortuum filiolum tumulo inferret, frigidis artubus inaginem S. Ignatii, post aliquot preces summa cum fiducia recitatas, imposuit. Revixit puer, & ad sacellum S. Ignatii, cum matre, multique miraculi spectatoribus, ipse testis omnium exceptione major, processit.

Eodem

Eodem in oppido puellam quatuordecim annos natam, cardiacus vexabat morbus. Eo decies aliquando per diem unum consiliata, propius ab interitu abesse iudicabatur. Beatum Ignatium voto piè nuncupato vocat: nec frustra. Jacenti, & sensibus (tanta vis dolorum erat!) desinita, se ostendit S. Pater, altero quodam, ut apparebat, sacerdote comitatus, ac sanam esse iussit. Illa exurgens parentes inclamavit, ut veneraturi accurrerent; at Ignatius jam ex oculis abierat. Gratias igitur actura festinavit ad Societatis collegium, cuius in templo effigiem S. Ignatii conspiciat, illum ipsum esse, quem vidisset, à quo fuisset sanata, confirmavit. His attoniti prodigiis Valentini & Barcinonenses supplicandum Pontifici censuerunt, ut debitos tam perspicuae sanctitati honores decernere dignarentur. Cataloniae Prorex, ac Barcinonis primores, communi consensu legatos misere Præfules, qui Tarraconem ad concilium provinciale convenerant, oratum ut idem à Pontifice flagitarent. Et assensere Patres, gratiisque Proregi actis, litteras ea de re ad Clementem, concilii nomine, perscripserunt. Non Hispania duntaxat, sed Europæ totius eadem exarserant studia, variis excitata portentis, vix ut populus à publico temperaret cultu, & Romanæ fedis agrè iussa expectaret. Europam transgressa Ignatii fama, & benefica virtus ultimas Orbis partes eodem anno MDCII. pervasit. Matriona primaria in urbe Mexicana, præter anginam, qua mortales multi, faucibus obstructis, de medio tollebantur, laterum dolore, ulcere sub aurem putrido, & febrî, sic jacebat oppressa, ut quies, tormentum; lectus ipse, crux esset. Accitus sacerdos Societatis allatam Ignatii effigiem moribunda ostendit, simulque accendit fiduciam recuperanda salutis, eo deprecatore, cuius tot ac tanta ubique terrarum prodigia celebrarentur. Vix hora dimidia fluxerat, soluta sunt fauces, abiit febris, suus membris vigor accessit; ac strato vegeta & valens exiit, que modo ne alienis quidem manibus moveri, sine vehementi totius corporis dolore poterat. Eiusdem civitatis virginem, à medicis depositam sancti Patris imago servavit. Erat hæc effigies domi nostræ, in æs incisa, & inclusa crystallo nitenti. Hanc puellæ pater, iacturam dulcissimæ filiolæ ægerimè ferens, capiti morientis imposuit. Ecce autem, cunctis intuentibus (& aderant bene multi) pretiosæ cuiusdam liquoris guttas, tanquam totidem gemmulas, imago cœpit fundere. Quibus delibutum ægotantis caput, quasi benigno rore, noxium expulit calorem, & vitam fugientem revocavit. Accessit huic miraculo statim aliud. In ea quæ frequens lectum puellæ circumstabat, turba, mulier tristem vomitum ægro celabat pectore. Excitata præsentî prodigio, salutarî lymphâ tumidum latus fovit; abscessit abscessus, & in Ignatii laudes omnium lætitia & gratulatio prorupit. In Philippinis, Zebuanæ insulæ sacerdos è sublimi fenestra decidens, & Ignatii opem implorans, ad terram, doloris expertus & noxæ, corruit. Sed impressum in humo subsidente ac paulum excavata, corporis vestigium mansit. Ex quo licuit coniecere, illum immani obterendum fuisse lapsu, nisi Numinis manus, Ignatii meritis invitata, labenti se supposuisset.

Anno MDCIII. virgo nobilis fedis ulceribus ita cruciatur, in urbe S. Jacobi, provincia Peruana, nullam ut corporis movere partem sine summo dolore posset. Remedia, quæ poterat ipsa per se se, adhibuerat, manus oculoque medentium, pudoris amore, fugiens. Sed ingravescente morbo, & urgente matre, cum vita certum in discrimen veniret, coacta est chirurgum arcescere. Tamen, priusquam ille accederet, insitit summis precibus virgo apud S. Ignatium, quem suæ pudicitie custodem inter Superos potissimum delegerat, ut ulcera, quæ viriles desiderarent manus, persanaret. Hæc agitati lenis obrepit somnus, quo amoto, ulcera penitus omnia, ne vestigio quidem ullius relicto, diffusisse vider. Aliam comitali morbo jam novies tanto impetu dejectam, ut esset incertum an adhuc spiraret, osculum imagini Beati Patris appressum, erexit ac sanavit. Sed corporum tamen morbi sæpe animorum remedia sanataque sunt. Quamobrem ægrotis non expedit semper, ut iis, aut certe penitus, releverunt. Dedita pietati femina, gravissimos non semel morbos Ignatii patrocinio depulerat, variisque per eum affecta

beneficiis incredibili ejus in dies magis colendi studio flagrabat. Evénit ut audiendi sensu omnino privaretur; neque tonantis cœli fragores horrificos perentiferet. Recurrit ad patronum; opem Ignatii duplex imploravit. Mirum! feminae preces eatenus accepti Sanctus, ut quoties in collegii templum subiret, explenda conscientie causa, vel audienda concionis, tam acutum audiret, quam quisque vel maximè auritus; egressa templo ad pristinam surditatem revolveretur.

Cazorla una & eadem mulier triplici portento valetudinem ter afflictam reparavit. Natum illi primo in scapulis apostema pronam decumbere per duos mentes coegerat, somni expertem, atque adeo cibi, quem nullo diductis ferro dentibus capere non poterat. Medicus, quamvis nondum esset maturum apostema, nihilominus, quoniam vita tantis doloribus par non erat, illud aperiri novacula, & pestem eximi iusserat, aut igne saltem consumi. Suavius remedium ipsa mulier excogitavit, & certius. Effigiem B. Ignatii applicuit humeris, applicuit languenti stomacho; somnum & cibum apostemate dissipato cepit. Post paulo humore frigido cor invadente, vocem ac prope vitam perdidit: nutu petiit eandem imaginem, & cum ea vocem ac vitam cepit: denique vexata gravi capitis dolore ac vertigine, quindecim dies exegit semianimis, & sui vix compos; quæ male coherencia effluens, quo more phrenetici solent; nec oblita patroni tamen certissimi est, cuius effigiem deosculata, mentis pariter & corporis fanitatem recuperavit. Medicus indignans, Quid ista nos, inquit, mulier male sollicitat, quæ tam facile medicinam domi habet?

Mutine sacram Deo virginem polypus dire cruciatur. Est caruncula naribus innascens, & multiplices, radicum instar, fibras diffusens extra nares, insigni deformitate; ac sæpe intra fauces, manifesto vitæ periculo, propter oculos vocis & pabuli meatus. Accesserat etiam ad dolorem fetor intolerabilis, ut nemo sine cruciatu propius pedem ferret. Demum inter medicos constitutum fuerat, ut candenti ferro naribus immisso pestis extirparetur, quod unicum huic malo, cum inveteravit, remedium est. Hujus carnisficina metu virginem exanimatam foror monet sancto ut Ignatio nuncupet votum. Piè nuncupat; mansuetit dolor, laxatur fauces, polypus ostiis non toto, sponte sua decidit. Ferdinandum Mascareniam, optime de Societate nostra meritum, fulus toto corpore dolor acutissimus macerabat Olliphonne; intumuerant oblecta propemodum fauces, urebat sanguinem febris: extrema omnia medici minabantur. Fecellit illos Ignatii nomen, adscriptum epistolæ. Hoc remedio, jam clamatum aeger subito est recreatus.

Illud mirabilis, quod anno MDCVII. Lima contigit. P. Alvarus de Molina, ex Ordine S. Dominici, vir probitate ac doctrina præstans, ab annis octo tam sæva constrictus erat paralyti, ut trunco similior quam homini videretur, nec posset movere pedem, manum tollere, aut vocem, quæ perciperetur, edere. Cum vitam S. Ignatii, & ab eo edita miracula perlegisset, adductus est in magnam spem recuperanda tam potenti patrocinio sanitatis. Votum rite concepit, sequæ voti reum statim sensit. Quippe VI. Id. Novemb. vocem audire visus est furgere jubentem & progressi. Surrexit. Vigebant firmi relique in gressum pedes: manus in gressum expedita: lingua in vocem soluta. Vix sibi credens ipsi, experitur. Ambulat: sursum, deorsum per cœnobii scalas alacer it reditque. Conveniant omnes eo die in aulam ingentem, ubi placita theologica propugnabantur magno civium concursu. Progressus ex aula unus quispiam è religiosis, & P. Alvarum strenue progredientem conspicit, obstupuit. Evocavit Patres: circumstant attoniti, sciscitantur: audiunt miraculum explicantem, quem nemo nisi egregie balbutientem hæcenus viderat. Rumore statim spatio, procurrit omnis ex aula cœtus, miraculum universi conclamant, & arcano impetu velut abrepti profiliunt in templum, ubi mista concinentibus organis gratulantium voces gratias Deo ac B. Ignario meritis persolverunt. Aderat ipse P. Alvarus, non jam devedus alienis manibus, sed populi plausu & gratulatione ductus; & ante majorem prostratus aram, ingens publica piæque lætitiæ materia, cernebatur. Facti per Domi-

Dominicanos de re tota nostri certiores, acis pariter Deo gratias, ad cœnobium, quo tota civitas erat effusa, convolarunt. Quamvis tot insignis miraculi testes essent, quot in amplissima urbe cives; illud ipsum tamen R. P. Bartholomæus Ayala, procurator generalis Dominicanorum in Peruvia, suo ac suorum chirographo confirmatum, & rite perscriptum edidit V. Id. Novemb. Accepta quoque sunt medicorum & civium aliquot præcipuorum testimonia, quæ missa Romam & per Europam disseminata B. Patris cultum & venerationem auferunt. Accessit huic miraculo, tanquam cumulus, alterum proprium nobis ac domesticum. Christophorus Mela, novitius Societatis, oleo sacro jam inunctus, animam agebat in tirocinio Limano, cum omnia gaudia recentis prodigii fremerent. Causam rescivit, & stupentibus, qui moriturum Deo commendabant, exclamavit, rogatque ut sibi fiat surgendi potestas; velle se, una cum ceteris, in templo hymnum sollempnem concinere. Jam valebat, ereptus morti ac periculo. Febrem & morbi reliquias quinto post die penitus expulit. Fama P. Alvares morbo admirabiliter liberati Peruvianum implevit: consecuta famam est pietas indigentiarum & fiducia: pietatem alia compenferunt miracula, quorum pleraque eidem narrationi per Dominicanos edite adscripta legere est, & quorum numero ac magnitudine attoniti Limani magnificentissimum S. Ignatio sacellum sumptu publico posuerunt.

Non leviora passim alibi patrata referuntur: Surdum ac mutum infantem mater Tolosana fuderat. Insanabile malum creverat cum atate. Misera parens puerum B. Ignatio dicit consecratum. Ignatius vicissim aurium ac linguæ usuram clienti suo reddidit. Miraculum, posito anathemate, voti rea mater, ad perennem memoriam, testatum voluit; illudque Tolosa longè lateque celebravit. Depulsus in eadem urbe morbus eò plus admirationis habuit ac lætitiæ, quod ab annis viginti civem dire torquebat. Lætantem vitam D. Ignatii subitè orare hunc in modum: *Fac, o Beate, fac, ut coram è numero sim, quos tui memores bene merendo facis*. Vix ea: prægrandem calculum, pestem tot annos visceribus additam, dolore nullo emisit. Eodem puella Burburgensis, in Flandria, laborabat morbo. Post omnes medicos frustra tentatos, imploratam sanctorum opem valiorum, diris cruciata doloribus, intumescente corpore, augefcente febrè, moriebatur. Admota languenti reliquiæ Beati Patris momento sanam valentemque lecto excusserunt. Consecratam Episcopi Audomarenfis iussu publicum instrumentum servavit, medicorum, theologorum, civiumque complurium testimonio consignatum.

Nobilem Anglam profusivum sanguinis à quadriennio vexabat. Venit in Galliam cum marito, religionis in exilio voluntario conservande causa. Ibi medicos experientissimos adhibuit, sed nihilo feliciores popularibus suis sensit. Humanis desituta medicis ad S. Ignatum festo ejus die recurrit, in ade nostra Rotomagi, & sana rediit. Miratus conjux adeo repentinam medici cœlestis opem, Patres confestim de miraculo admonuit, illudque publico deinde monumento rite conscripto, memoriæ prodidit.

Caralitana virgo, ex ædium fastigio præceps in pavimentum lapsa, caput comminuerat. Medici & chirurgi actum esse de puella pronunciant. Imago D. Ignatii alligatur capiti fracto: deinde inungitur oleo, quo lampas ante Beati aram appensa lucebat. Virgo se colligit, vivit, valetque. Medici adhuc illam vivere mirati, subeunt perere, & calvariam puella pridie distractam, nunc sanam & bene coherentem nacti, miraculum magna voce conclamant.

Præsentem ejusdem B. Patris opem unus è nostris Bruntruti sensit anno MDCLXIV. cui ad acerbissimos renem & lateris cruciatus indicia morbi pestilentis adjuncta, fecerant ut nostros, ab ejus congressu medicus secluderet. Hac ille destitute percussus, seque depositum putans, Ignatianæ vestis brevem laciniam lateri admoveret. Hujus contactu lateris dolor abigitur ad humeros, eodemque amuleto inde pulsus, alias atque alias quasi latebras occupans, tandem toto corpore extrahitur. Quatriduo post æger, medico stupente, incolumis exsistit è lectulo. Circa Compostellam anno MDCLV. arvis injectus ignis fuerat pro more. Sic enim

steriles herbe exstirpantur, campi pinguescunt, & novas à calore, sinum telluris effectum subeunte, vires ducunt. Ignem vehemens ventus ultra modum, & desinat ab agricolis fines, tulit: nec vicinis modo messibus, sed pagis oppidoque cladem importabat. Concurrunt undique: pro se quisque trepidat; mox, ubi nulla industria superare mali vim potest, clamor, preces, comploratio miserabilis. Advolant Patres. Unus icunculam S. Ignatii projicit, quæ flamma violentior ingruerat. Resedit illa subito ac detumuit; mox sua per vestigia se reflectens, penitus evanuit.

Neque illud prætereundum, quod Setiæ contigit anno MDCVIII. Pia virgo singulari studio B. Ignatium colere solita, precationi dabat operam in cubiculo sedens; cum ignis aedes totas invasit ex improviso. Cubiculum orantis flammarum globi, cum horrendo fragore, inundabant. Illa nequaquam exterrita, suum appellat Ignatium, ejusque nomen igneo torrenti opponit. Diceret audivisse flammam beatum nomen. Vorticibus magno impetu retortis absistunt. Prodigium hoc alio cumulatam est. Solicita circa puteum domesticum, sed exilem ac jejunum, familia trepidabat, ut flammam domaret aqua. Puella rursus ad patronum suum suppliciter prece redit. Continuo puteus tam ubere vena fluxit, ut incendio extinguendo non tantum suffecerit, sed lymphas etiam limpidissimas fœtea dederit, ac perquam salubres, qui non nisi corruptas, & limo vermibusque infectas antea fuggerat.

48. Nonnulla miracula per Beatos Aloysium Gonzagam, & Stanislaum Kofskam edita.

Adam Ignatio Beatos Aloysium Gonzagam, & Stanislaum Kofskam, parenti filios, Florentinæ virgines cœnobii, cui nomen Angelorum est, digitum B. Aloysii Gonzage servant. Earum una oculum alebat carcinoma, neque id ausa erat cuiquam aperire, seu verecundia, seu patientiæ studio. Coacta tamen est anno MDC. immedicabilem mali cruciatum non ferens, vocem rumpere. Priusquam medicus arefesceret, venit in mentem implorare patrocinium B. Aloysii, cujus vitam recens conscriptam legerat. Vifa est secundum quietem illum cernere, ulcus scdum perstantem. Clamorem tollit. Accurrunt sociæ virgines, & sanam gratulantes in templum sequuntur, ubi gratias Deo, & Beato Aloysio persolunt. Facti fides publicis tabulis rite mandata exstat.

Visitur ejusdem B. Aloysii sacellum celebre in Valle Tellina. Ante illius imaginem ardet perennis lampas, cujus oleum in vicinas urbes tanquam presentissimum desperatis morbis remedium defertur. Jacebat æger molari saxo pane obritus: phrenesim secuta febris extremum discrimen minabatur, cum rogatus sacerdos Societatis, ut morientem inungeret hoc oleo, vix pectus saluari liquore perfudit, cum depulsa febris, & recepta mentis corporisque sanitas est.

Stinvigilianum, seu Afilianum, oppidum est in Sabinis. Hic feminam difficilis partus ita discruciat, ut emota mente, vinculis etiam constringenda foret. Unus è nostris concionabatur ibi per Quadragesimam: aderat illi comes tirunculus, è S. Andrea Romana Probationis domo: narrat de B. Stanislao, familiari scilicet ac noto nomine: de illius patrocinio cœliferi. Audivit infelicis puerperæ maritus, & votivam ad B. Stanislai sepulcrum Romæ peregrinationem promisit. Rediit conjugi mens, valetudo, vita. Res in publicas tabulas relata, & felici pervulgata rumore, fecit animos alios ad idem patrocinium implorandum. Ergo canonicus, qui somnum à duobus circiter annis capere vix potuerat, ac male dormientem in curando malo medicorum artem accusabat, votum Beato adolescenti nuncupavit, ejusque salutarem tutelam expertus, Romam, ut gratias ageret, cum redeunte concionatore perrexit. Adolescentem Pofnaniensis, è primaria familia, ferocientis equi tergo excussus, adeoque graviter solo allisus, ut vita spe exigua extremaque penderet, matris, ad B. Stanislaum confugientis precibus, contra spem

spem servatus est. Pia mulier Leopolitana, conjugis decumbentis exitio imminente maesta suffragatorem Stanislaum optavit apud Deum, & maritum postmodum saluum recepit. Præsuli negotium facebat improbus

calumniator. Supplex B. Stanislae factus est, voti religione interposita. Postera die lycophanta ultro domum præsulis venit, & veniam ab eo pacemque petiit.

§. X. De regione ac moribus Canadensium, seu barbarorum Novæ Franciæ.

49. Flumina Novæ Franciæ: soli naturas fera, pisces, aves, &c.

Duo sunt in Nova Francia majores fluvii. Unus ab indigenis Canada nominatus, & à quo tota regio nomen traxit, nunc fluvius Sancti Laurentii dicitur, & ab occasu in ortum amplissimo fluit alveo. Alter, cui nomen Mississipus, per vasta, & ignota magnam adhuc partem, terrarum spatia fertur à Septentrione in Meridiem. Habent hoc singulare hujus regionis fluvii, quod certis in locis ex editore solo precipitant in humiliorem planitiem ingenti cum strepitu. Ea loca saltus vocant Franci. Catadupa recte dixeris, qualia in Nilo celebrantur. Aqua tota fluminis, in morem arcuati forniciis, ita sæpe cadit, ut infra suspensum altè amnem sicco vestigio transire liceat. Barbari, cum huc ventum est, suas naviculas, è levi compactas cortice, imponunt humeris, & in placidam fluminis, alveo depressiore fluentis, partem eas deportant, cum sarcinulis. Urbs novæ Franciæ primaria Kebecum nuncupatur, S. Laurentii fluvio imposita. Cælo salubri tota regio utitur; et à hyeme frigida, & diuturna vexatur. Hanc efficit partim fluminum & lacuum crebritas; partim opacitas & amplitudo nemorum, quæ vim solis calidam infringunt; denique nivium copia, quibus terra tres quatuorve menses, in iis locis quæ ab Boream propius accedunt, & eidem ac vetus Gallia parallelo subjacent, continenter inhorrescit. Humus omnium arborum plantarumque feracissima, præsertim ubi excise silvæ locum culturæ majorem præbuerunt. Quadrupes eadem, quæ in Europa: nonnullæ regionis propriæ sunt, ut alces. Magnam belluam indigenæ appellant. Id nominis invenit à mole corporis: bovem enim æquat magnitudine. Mulum capite refert; cervum cornibus, pedibus, & cauda. Eam canibus immixtis barbari agitant; defatigatam conficiunt jaculis & missilibus. Si defunt venatici canes, ipsi vicem illorum obeunt. Per medias quippe nives incredibili celeritate gradiuntur, ac ne corporis pondus vestigia pedum altius in nivem deprimat, subternunt plantis, inferuntque pedibus, lata reticula, illis simillima, quibus pilam lusores vulgò pulsant. Hæc reticula, spatium nivis ac soli fatis magnam amplexa, currentes facile sustinent. Alces vero crura exilia defigens alte in nivem, ægrè se expedit. Illius carnibus vescuntur, teguntur pelle, ungula posterioris sinistri pedis sanantur. Huic ungulæ mira quadam & multiplex virtus inest, medicorum celeberrimorum testimonio commendata. Valet in primis adversus morbum comitalem, sive admoveatur pectori, quæ parte cor micat; sive indatur palæ annuli, quem digitus lævæ minimo proximus gestet; sive demum teneatur in ejusdem sinistra vola, in pugnum contracta. Nec minorem vim habet ad sanandam pleuritidem, capitis vertigines, & sexcentos alios, si credimus expertis, morbos.

Alterum animantis genus illic notissimum & frequentissimum est fiber, cujus pelle, cum Europæis mercibus mutanda, commercii Canadensis ratio fere tota consistat. Color castaneæ colore imitatur; modus corporis idem, qui exigiti vervecis: curti pedes & ad natandum compositi, nam in aquis perinde ac in terra degit; cauda glabra, crassa & plana, quæ natanti pro gubernaculo fit: dentes duo, majores ceteris, ex ore utrimque prominent: iis tanquam gladio & ferra utuntur fibri ad arbores excindendas, cum domos extruunt; in iis enim fabricandis mira pollent industria. Eas ponunt ad lacuum fluviorumve ripas: muros è stipitibus

componunt, interjecto cespite uliginoso ac tenaci, calcis instar; vix ut multa vi efringi opus & convelli possit. Tota cæcæ fabrica variis contignationibus distinguitur: infima è transversis lignis crassioribus constat, instratis desuper ramis, ac relicto foramine ostiolo, per quod in fluvium fubire, cum videtur, possunt. Hæc modice supra fluminis aquam exstat, alia affurgunt altius, in easque, si fluvius intumescens inum tabulatum vicerit, se recipient. In una è superioribus contignationibus cubant; præbet molle stratum alga fœcior, & arborum mulsus, quo se tenentur a frigore; in altera penum habent, & provisè in hyemem cibaria. Edificium fornicato tecto cœditur. Sic hyemem exigunt: nam æstate, opacum in riu frigus captant, aut undis immeriti calores æstivos frugiunt. In una sæpe domo ingens, & multorum capitum familia stabulatur. Quod si loci premure angustias, discedunt juniores ultro, & sua sibi domicilia moluntur. In eam curam incumbunt sub prima autumnii frigora, & mutuas sibi invicem operas commodant, tum ad secanda ligna, tum ad comparanda, ita ut plures uni eidemque succedant oneri, & ingentia ramalia, memorisque stragem, devehant. Si quem fluvium nanciscuntur ad suos accommodatum usus, non tamen fati alto gurgite, fruunt aggerem coercentis aquis, donec ad idoneam altitudinem affurgant. Ac primo quidem arbores grandiores arrodendo depiciunt: deinde transversas ab una ripa ducunt ad alteram. Duplicem versum & ordinem arborum faciunt; relicto inter illas oblique sic positas spatio sex fere pedum, quod referunt cæmentis, argilla, ramis, tam solerter, nihil ut perfectius à summo architecto expectes. Operis longitudine major minorve est, pro fluvii, quem coercere volunt, modo. Ducenim aliquando passuum ejusmodi aggeres reperti. At, si amnis plus justo intumescit, dirringunt aliquam molis partem, ac tantum emittunt aquæ, quantum fati videtur.

Ut feris silvæ, sic piscibus abundans flumina. Unus est in Iroquoorum lacu, de quo nihil à piscis legitur proditum scriporibus. Causarus ab indigenis vocatur: octo pedes longus, aliquando decem. Crassitudo, humani femoris; color leucopæus, candido tamen propior; squamis torus horret tam duris, tamque validè confertis, ut aciem pugionis, & hastillum, excludant. Caput amplum, & cranio prædure, tanquam casside, munitum. Hinc piscis armati nomen illi à Gallis inditum. Et vero perpetua cum allis piscibus bella gerit, quorum exitio pascitur. Pro telo rostro immane gerit, humani brachii longitudine, geminodentium ordine instructum. Hoc venabulo non solum reliquos maciat pisces, verum etiam avibus, cum mutare dapes cupit, infidiatur & illudit. Eam ob rem occultat se inter carectia: rostrum exertat aquis, ac paulisper diducit. Sic perfat immorus donec accedant volucres, & incaute rostro insideant, arundinem aut virgulum rate: continuo perfidus infidiator, missellarum pedes contracto rostro stringit, & in gurgitem demersas vorat.

Non minor volucrum est copia, quam piscium. Certis mensibus palumbes è silvis prorumpunt in agros tanto numero, ut arborum ramos prægravent; quibus postquam insederunt noctu, facile capiuntur, & barbaras mensas regali ferculo cumulant. Præterea in vestissimo sinu, in quem evoluit se flumen sancti Laurentii, cernitur exigua insula, seu potius biceps scopulus insulam volucrum dicunt. Tot enim eò convolant è finitimo pelago, ut inire numerum nequeas. Indigenæ sustibus prædam non difficilem communiunt, aut pectibus conculcant; tymbasque laetis dapibus, & inemptis

ptis plenas referunt. Ludunt in aquis passim anseres, anates, ardeæ, grues, olores, fulicæ; & aves aliæ, vicium ex undis petere solite. Peculiare quiddam habet una, gallinæ similis, si molem spectes; pennis in tergo nigricantibus, sub alvo candidis. Pedum alter unguibus aduncis armatur; alter digitos levi & continua pelle junctos habet, qualis est anatum; hoc natat, illo pisces trahit & eviscerat.

50. *Canadensium domus & res familiaris; morbi; agrorum cura & mortuorum.*

Am, si mores & indolem gentis requiras, partim vagi degunt, in silvis per hyemem, quò venationis uberioris vocat spes; æstate, ad annuum ripas, ubi præbet facilem annonam piscatus: aliqui pagos incolunt, Casas fabricantur infixis humi peticis: latera corticibus intexunt; pellibus, musco, ramis operiunt fastigia. In media casa focus: in summo tecto foramen, emissarium fumi. Is ægre eluctatus totam, ut plurimum, casam sic opplet, ut coactis habitare in hoc fumo advenis sæpe oculorum acies obtundatur, & hebescat: barbari, durum genus & his assuetum incommodis, rident. Domestice rei cura, & quidquid in familia laboris est, imponitur feminis. Illa domos figunt, ac refingunt; aquam, & ligna devehunt, cibos apparant: vicem & locum mancipiorum, opificum, & jumentorum, implent. Venationis & belli cura, viro- rum est. Hinc gentis solitudo, & paucitas. Mulieres enim, ceteroquin haud infecunda, his districtè laboribus, neque maturos edere queunt fetus, neque alere jam editos: itaque aut abortum patiuntur, aut partus recentes desitiunt, aquationi, lignationi, ceterisque operibus intentæ; vix ut trigessimus quique infans adolescat. Accedit rei medicæ inficitia, cujus ignorantio facit ut è morbis paulo gravioribus raro emergant.

Duos maximè fontes morborum statuunt: unum ex ipsa ægotantis mente ortum, quæ desideret quiddam, ac tandiu corpus ægrum vexet, dum re desiderata potiatur. Putant enim inesse in hominum unoquoque innata quædam desideria, sæpe ipsis ignota, quibus singulorum felicitas continetur. Ad ejusmodi desideria & innatas appetitiones cognoscendas adhibent harolos, quibus hanc divinitus concessam facultatem arbitrantur, ut animorum intimos recessus pervideant. Illi, quodcumque primum occurrit, aut ex quo fieri quæstum aliquem posse suspicantur, ab ægro desiderari pronuntiant. Nec dubitant parentes, amici, & consanguinei ægotantis, quidquid illud sit, quantivis pretii, comparare ac largiri ægro; nunquam postea repescendum. Ille dono fruitur, & luci partem harolis aspergit; ac sæpe postridie vita cedit. Vulgo tamen relevatur ægroti; quippe levibus tentari morbis: nam in gravioribus timidiore sunt isti præstigiatores, negantque inveniri posse quid ægrotus desideret: tunc cum depositum conclamant, auctoresque sunt consanguineis ut hominem tollant è medio. Ita longiore morbo vexatos necant, aut senio fessos; eamque caritatem summam interpretantur, quia mors ærumnis languentium finem ponit. Eandem benevolentiam adhibent erga pueros parentibus orbatos, quos nullos esse malunt, quam miseros. Alterum fontem morborum esse censent veneficorum occultas artes, & præstigias, quas ridiculis cærimonis conantur averruncare. Sæpe noxios humores eiciunt sudando. Certum case locum corticibus includunt, ac tegunt pellibus, ne qua possit aer aspirare: Intro congerunt lapides deustos & igne multo saturatos. Subeunt nudi & brachia cantantes jactant. Sed, quod mireris, ab his thermis egressi & sudore disfluentes, hyeme frigida, in lacum aut amnem se conjiciunt, de pleuritide securi.

Mortuorum cadavera nunquam esserunt per case januam, sed per eam partem, in quam conversus eger expiravit. Animam putant evolare per camini spiraculum; ac ne moras trahat, case pristinae desiderio, ne puerulorum aliquem discedens afflet, hoc assatu videlicet moriturum, ut putant; crebro fuste tundunt parietes turgii, ut eam citius exire compellant. Immortalem esse arbitrantur. Ne porro emoriatur fame, magnam vim ciborum infodiunt cum corpore; vestes,

Partis V. Hist. Societatis Jesu Tom. II.

item, ollas, variamque suppellectilem, magno sumptu & multorum annorum labore conquistam, ut iis utatur, inquit, ac decentius versetur in regno mortuorum. Sepulcra nobilium exstant paulum ab humo: iis peticas in morem pyramidis compactas imponunt: arcum addunt, sagittas, clypeum, & alia militiæ decora: feminarum vero tumulis, torques & monilia. Infantium corpora sepeliunt propter viam, ut eorum anima, quam ab ipsorum corporibus abire longius non putant, illabatur in prætereuntis alicujus femine sinum, & adhuc informem animare ferum possit. In luctu vultum inficiunt fuligine. Moniti de funere affines, vicini, & amici concurrunt in funestum tugurium. Unus aliquis, si mortui conditio ferat, verba facit, neque rationem ullam ex iis prætermittit, quæ ad leniendam ægritudinem à dicendi magistris afferri solent. Excurrit in demortui laudes: hominem eum natum fuisse admonet, atque adeo morti obnoxium: qui casus emendari nequeant, fieri patientia leviores; alia id genus in eandem sententiam edisserit. Tertio die funus ducitur. Epulum funebre apponitur toti pago, singulis suam symbolam, nec malignè, conferentibus. Hujus epuli causas afferunt maximè tres: primam, ut communem maiorem leniant: alteram, ut qui amici peregrè ad funus veniunt, accipiantur honestius: tertiam, ut gratificentur extincti Manibus, quem ea liberalitate delectari existimant, & appositis etiam dapibus pasci. Peracto convivio præfectus funeris, quem in singulis familiis clarioribus, certum atque insignem habent, adesse tempus exequiarum proclamant. Omnes continuo lamentari, & ululare. Effertur cadaver propinquorum humeris, intectum fibrinis pellibus, & in feretro, è corticibus junctisve confecto compositum, collectis in glomum arubus, ut eo modo terra mandetur, inquit, quo in alvo materna olim jacuit. Deponitur feretrum in constituto loco, munera quæ quisque offert mortuo, præfiguntur peticis: & appellatur illorum auctores à funeris præfecto: instauratur planticus; denique juvenes ludicro certamine inter se dimicant.

Majori sepeliuntur apparatu & luctu, qui aquis obruti perierunt. Nam eorum cadavera laniantur: carni pars cum visceribus in ignem projicitur. Id sacrificii quoddam genus est, quo placare celum contendunt. Iratum enim esse genti non dubitant, cum in undis quispiam extinguitur: ac si quid rite atque ordine peractum in istis funeribus non fuerit, huic piaculo calamitates omnes, quibus postea conficiantur, acceptas ferunt. Indulgent luctui per annum integrum. Primis diebus decem jacent humi, diu noctuque in ventrem proni: nefas tunc vocem ullam, nisi quæ dolorem significet, mittere; aut accedere ad ignem, aut conviviis interesse. Anno reliquo luctus continuatur, at levius. Omittuntur omnia urbanitatis officia, colloquia cum vicinis, congressus amicorum; ac si conjugem amiserint; cælibes, donec annus fluxerit, perstant. Post octavum aut decimum quemque annum Hurones, quæ natio latè patet, omnia cadavera certum in locum ex omnibus pagis deportant, & in foveam prægrandem conjiciunt. Eum diem Mortuorum vocant. Is ubi de procerum sententia constitutus est, erunt corpora sepulcris; alia jam consumpta, & ossibus vix hærentia; alia putri carne leviter amicta: alia scæntia fœdis vermibus, & graviter olentia. Ossa dissoluta in saccos abduunt: cadavera nondum dissuta componunt in sarcophagis, & supplicantium ritu deferunt in destinatum locum, alto silentio, & composito gradu procedentes, non sine suspiriis, & lamentabili ciulatu. Ne vero memoria nobilium, & arte præsertim bellica insignium, qui prolearent, intercidat, eligunt aliquem ætate ac robore florentem, cui demortui nomen imponunt. Ille militum statim delectum habet, ac bellum capessit, ut præclaro quopiam edito facinore, probet se non tantum nominis, sed etiam virtutis ejus, cui substituitur, heredem esse. Inferioris notæ nomina æterno silentio damnant. Itaque simul ac in pago quispiam è vita cessit, ejus nomen alta voce pronuntiat per omnes casas, ne quis illud temere usurpet. Quod si mortuum tamen appellare necesse fuerit, utuntur verborum circuitione, & præstantur quidpiam, quo mortis ominos

lior corporis constitutio. Tunc enim dolore victi, licet eum ne gemitu quidem significent, linquntur animo, & exanimis aliquando concidunt. Laudant oculos exiles, labra repanda & prominentia: pars radunt comam, pars alunt: his nudum sinciput, illis occiput: aliis coma tota furrigitur in vertice, aliis parca ad tempora utrimque propendet. Barbam, instar monstri, execrantur; ac si quis in mento succrescat pilus, statim vellunt. Viri aque ac femina imas auriculas pertendunt: & iis inaures è vitro, testivæ piscium, inserunt. Quo foramen amplius est, eo centent formosius. Nunquam unguis resccant. Europæos rident, qui desluentem è naribus humorem candidis sudariis excipiunt, & Quo, inquit, rem adeo fordidam reservant isti? Saltantes curvant arcuatim corpus prono capite, & brachia sic agitant, ut qui farinam manibus subigunt, raucum identidem grunnientes. Alvum infimam fuccingunt lato cortice, vel animantis pelle, aut vesiculosæ panno, cetera nudi. Femina pelles ex humeris & collo prominent ad genua. Zonas atque armillas, è concha veneria, quam vulgo porcellanam appellamus, aut fetula hystricis non inficte contextas, gestant: torques ungues elaborant. Europæos magno habent in pretio. Storeas è marisco (junci marini genus est) fatis elegantibus elaborant: iis pavimentum sternunt, in iisdem carpunt somnos, aut in vitulorum marinorum, fibrorumve mollibus exuviis. Dormiunt circa focum in mapali medio semper ardentem, si frigus est: sub dio, si aestas.

Mensam, aut cathedram, in casa tota videas nullam; in clivis subsidunt, sinitarum instar: is vescentium, is deliberantium, & confabulantium habitus est. Aduentes amicos salutant inepto risu; sæpius ho, hho, hho, conclamantes. Cum vescuntur, porum dapibus non intermiscunt, neque identidem bibunt; sed semel tantum, sumpto cibo. Qui amicos convivio accipit, cum iis neque accumbit, nec ciborum partem ullam attingit, sed epulantibus dividit: aut, si quem adhibet struictorem, sedet scorum jejunos, & spectat. Inter edendum silent: salem averfantur, & condimenta: ossa canibus projicere piaculum arbitrantur: igni cremant, vel terræ infodiunt. Si enim, inquit, urfi, fibri, & alia, quas venando captamus, feræ ossa sua permitti canibus, & comminui, resicerent; non tam facile capi se paterentur. Adipem è pinguis collectum cibis, abstergunt coma; genis interdum brachii-ve allinunt, elegantie, ut aiunt, causa, & valetudinis: nam adipe non solum nitere cutem, sed corroboreari membra existimant. Non alio cibo vescuntur libentius quam Sagamita. Pulmentum est è farina, præsertim Indici tritici, confectum: admisso, quod illis condimentum præcipue sapit, oleo. Itaque in convivio pars dapum prima oleum, aut adeps, in quem concretum & spissum ita dentes insigunt, ut nos in panem aut pomum. Antequam illis lebetes, cortina, aliaque id genus vasa ærea deferrentur è Gallia, utebantur cacabis è cortice compactis; verum quia imponi flammis non poterant impunè, hanc ad coquendas carnes artem excogitaverant. Silices plurimos consistebant in focum, donec penitus ignem combibissent. Candentes in ollam frigida plenam & carnibus alios atque alios subinde immittebant. Ad hunc modum aqua calefacta carnes citius opinione faciliusque percoquit. Ad tergendas manus utuntur piloso canum tergo, cui illas asfricant; item scobe ligni putris. Hæc matribus vice panniculorum est, ad purgandas infantium fordes; hæc instar culcitæ languidis corporibus subfermitur. Vasa coquinaria non exergunt. Quo sunt crasso pingui magis oblita, eo melius, illorum judicio, nitent. Turpe ducunt & superbum inambulare inter colloquendum. Odorem mosci graviter ferunt, & meram esse mephitim putant, præ carnis rancidæ, aut adipis mucidi frusto.

Sexcenta sunt ejus generis, in quibus longissimè recedunt ab Europæorum institutis: sed ab illorum vi-

tiis propius abunt, eaque vel æquant, vel superant. Gule irritamenta, & inimicas bonas ac sanæ menti potiones, ab Europæis mercatoribus acceperunt, quibus lucri bonus est odor, etiam ex flagitio, & scelerata nundinatione. Tandiu esse pergunt, dum adest quod edant: nihil in crastinum, aut hyemem, reponunt: nec famem valde reformidant, quia se ferre diurnam posse confidunt. Conviviis ea lex posita consensu moribusque gentis est, ut omnia fercula consumantur. Si quis edit parcius, & excusat valetudinem, plectitur, aut ejicitur, ut infalsus, quasi qui vivendi artem nesciat. Primaria supellectilis domesticæ pars, olla est, sive abenum, in quo carnes coquantur. Opes lebetum numero metiuntur: nec regem Gallie aliam ob causam initio magni æstimabant, quam quod plures habere ollas dicebatur. Quanta sit apud exleges, & omni freno solutos, intemperantiæ impunitas & licentia, præsertim in adolescentibus, promptum est intelligere: nam grandiores natu libidinem certis finibus circumscribunt, cum æstus cupiditatum deseruit: nec impune est peccanti femina.

Religionis apud illos neque lex ulla, neque cura. Nullo statuto & certo cultu Numen prosequuntur. Esse tamen aliquod, velut in sublustri nocte, vident. Quod quisque puer aspicit in somnis, cum lucefcere ratio incipit, hoc illi deinceps numen est, canis, urfus, avis. Vivendi normam & agendi plerumque ducunt è somnis; ut si quem interficiendum, exempli causa, somniaverint, non conquescant donec hominem infidiis exceptum necaverint. Piget fabulas referre, quas de mundi officio comminiscuntur. His implent otiosas & avidas plebis aures harioli, & circulatores nequissimi, impietate quaestiosa. Malorum auctorem genium nescio quem vocant Manitou, ac vehementissime perhorrescunt. Hostem procul dubio generis humani, qui à nonnullis divinos honores & sacrificia quædam extorquet. Circa naturam animarum non levius delirant. Simulacra fingunt corporea, cibi & potionis egentia. Destinatum animabus versum occidentem solem, pagum credunt, in quem obita morte se recipiant: & ubi epulis, venationis, & choreis indulgeant. Hæc enim apud illos summa.

Cum primam de sempiternis ignibus, & incendiis sceleris destinatis audierunt, immane quantum obstupere: fidem tamen pertinaciter abrogabant, quod dicerent ibi esse ignem non posse, ubi nihil ligni sit: tum, quænam silvæ alere tot ignes, tam diurnos, possent? Hæc ratio ineptissima tantam vim apud barbaras mentes habebat, ut iis persuaderi veritas evangelica non posset. Quippe in homine carnali, ut ait è SS. PP. nonnemo, tota ratio intelligendi est consuetudo cernendi. Expugnavit nihilominus pertinaciam sacerdos acer & ingeniosus. Fidenter affirmavit inferorum terram vices obire ligni, & ipsam ardere per se se. Rifu barbare multitudinis exceptus est. Imo, inquit, hujus Avernalis terræ fructum proferam vobis, ut, quoniam verbis divinis non creditis, vestris ipsi oculis credatis. Accendit curiositatem promissi novitas & fiducia. Convenerunt è tota regione ad diem constitutum, & in ingenti planitie, collibus instar amphitheatri cincta, confederunt. Primores gentis duodecim lecti fuere, viri graves & cordati, qui sacerdotem observarent, numquid fraudis ac præstigiarii lateret. Ille sulphuris glebam depromit, dat istis arbitris & cognitoribus tractandam: hanc oculis, naso, manu scrutati, haud dubie terram esse confessi sunt. Aderat olla cum prunis candentibus. Tunc sacerdos populo procul spectante; inhiantibus, demisso in prunas naso, judicibus, excussit in carbonem è sulphurea gleba particulas aliquot, quæ subito conceperunt ignem & odore fetido nares curiosas impleverunt. Hoc iterum, ac tertio cum esset factum, assurrexit multitudo attonita, manum planam imponens ori, quo gestu summam admirationem testantur; & inferos esse dicenti Deo credidit.

§. XI. De regione incolisque Cocincinae.

54. *Soli natura; fructus præcipui, volucres, fera.*

Non tam inculti, nec tam barbari Cocincinensium mores erant, cum eos adiit Societas, licet essent peræque cælestibus prædiis destituti. Regionem hanc indigenæ appellat Anam, quæ vox regionem Occidentalem sonat: a Japonibus vocatur Cocin, seu Chiaocin, quæ dictio Japonica, idem quod Anam significat. Lusitani ad istam dictionem Cocin addidere Cina, ut ea regio vicina Sinis, distingueretur à Cocino, quod oppidum in ora Malabarica possidebant. Inde Cocincina nomen coaluit. Soli forma est planities ingens ad mare declivis: cincta longo montium ad Boream & Zephyrum jugo, è quibus fluviorum erumpit magna copia. Illi certis mensibus, ac fere autumno, intumescunt, auctique imbribus, humum totam, ut Ægyptum Nilus, operiunt, ac limo fertili saturant. Tunc mutatur camporum facies, ac terra maris vultum induit. Prodeunt ex urbibus indigenæ, & è domibus in naviculas commigrant, quibus incredibili celeritate devescunt, visunt inter se se, deportant huc illic merces; instituunt nundinas; agitant convivia, & omne genus hilaritatis explicant. Rex ipse, pompa navium elegantis stipatus, regnum lustrat, jus dicit, celebrat ludos, ac fluitantem aulam, inter lætos symphonicorum cantus, circumducit. Favet benigna tempestas, æstu mitescente gelidis imbribus, & mollibus Favoniis novum æquor benigne perslantibus. Lætitiam auget spes ample messis, quam tellus pingui uligine fecundata uberrimo proventu reddit. Porro quia repente, atque improvise, attollunt se, ac restagnant fluvii, domos imponunt præaltis columnis, & greges locis editioribus pascunt, qui nonnunquam tamen aquis abrepti hauriuntur. Itaque ad accendam servandi pecoris diligentiam, lata lex est, ut quicumque deprehensas aquas pecudes occupaverit, ad eum jure censeantur pertinere, dominisque suis perire. Hinc lepida oritur dimicatio, effusus omnem in partem venatoribus ad invadendos, qui luctantur cum undis boves, capras, porcos: quos ubi exceperunt, inter se epulantur. At juvenus sua venatione non caret. Muribus enim, talpis, lepusculis, curculionibus abundant arva ingentia. Opletis aqua cubilibus erumpunt, arboræque sæpe sic implent, ut deprimant ramos, ac rumpant: læta puerili turba præda, facilisque ludus.

Hinc etiam existit alia utilitas non levis, quod extinctis ejusmodi arborum segetumque pestibus, messis multo certior colligitur. Hæc ter quotannis tam largæ infertur in horrea, ut abundè annoa populo suppetat. Præter oyzam, qua fere vescuntur, magnam fructuum copiam effert humus. Celebrantur præ ceteris bananes, seu ficus Indicae. Hominem totum obtegere folia duo possunt, tanta est eorum amplitudo! In summo extat uva quædam, viginti, triginta, & plures etiam baccas complexa, simillimas citreis malis; colore flavo, molli cortice, quem tam facile deripias, quam pellem à virente faba. Intus suavis ac flavescens medulla, quæ in ore liquecit, ac ritu sacchari solvitur. Est etiam pomorum Medicorum insignis quoddam genus. Equat magnitudine mala citrea vel maxima, sic, ut diurno victui unum facile sufficiat. Pars interior alba, sed eam distinguunt nigricantia & rotunda grana, excellenti sapore, & ad comprimendam alyum idoneo. Alius item fructus, Cocincinae peculiaris, malum Punicum imitatur extrema facie: sed carne discrepat: est enim tota tenera, & saporis aromatici; colore mespilum maturum refert. Denique regionis fructus maxime proprius est Areca. Hunc gignit fructus palma non abfimilis: frondas duntaxat in culmine gerens & ramulos, è quibus pendunt nuces castaneæ pares. Secantur illæ, ac Betelæ foliis involvuntur. Sic involuta frustula dentibus assidue omnes terunt, non solum odoris suavitate delectati; sed etiam præcipua virtute, quam stomacho perutilem esse narrant. Eam ob cau-

sam & penes se illa semper habent in pyxidibus, & adeuntibus offerunt, estque pars vel maxima urbanitatis, seite Arecam offerre. Itaque illo fructe ingentes agri, ut vitibus olivisque nostrates, conferuntur.

Piscium exquisita bonitas est: nec dubitant illos altibus anteferre. Par volucrum numerus, tum domesticarum, tum agrestium. In iis hirundinum admirabile celebratur genus. Nidos illæ componunt in rupibus è salsa maris ad scopulos allisi spuma, quam nativo quodam stomachi succo temperant. Exsecrati vento & æstu nidi induunt colorem è viridi & flavo mistum: diluuntur & macerantur aqua, saporemque referunt velut è pipere, casia, acriophyllo, ceterisque præstantissimis aromaticis conflatum, & ad omnes ciborum condiendorum formas aptissimum: adeo ut oleo, sale, aceto, facile gens careat. Ejusmodi nidos summo studio cautibus avellant; cymbas complures, tanta est copia, iidem onerant, & in vicinas oras convehunt. Ille regis præcipuus questus est, qui pretiosam mercem Japonibus ac Sinis magno vendit. Lactæ vesci nefas putant: quia, inquit, nutriendis animalium fetibus, non hominibus pascendis, à natura lac est institutum.

Inter feras, quibus abundat perpetuus montium & silvarum agger, Cocincina prætentus ab occasu, visuntur elephantis insigni mole: hanc æstimare licet ex eorum dentibus, quorum longitudo tredecim sæpe & quatuordecim pedum est. Maxima capiuntur ex illis animalibus utilitates, præsertim ad tritera concienda. Quatuordecim homines, in lætica pragrandi, quam dorso habent impostam, sedentes ac tutos gestant. Elephantis magister & auriga (nayrum vocant) cervici ejus infidet. Bellæ cursum regit scilicetque ut plurimum voce, nec ea tantum rudi: & incondita, sed distincta & humana, quam elephas intelligere videtur; neque unam duntaxat, sed aliquando plures, pro regionum, ubi degit, varietate. Interdum rheadarius utitur virga ferrea, quatuor palmos longa, cujus in extremo stimulus est, quo cessantem pungit, urgetque. Peccantem castigat incusso ter quater in frontem sulco valido. Agre admodum, ut est moles corporis, incurvatur, ac subsidit. Itaque cum viatores in ejus dorso sumbeunt, festinato est opus, vix enim diu inclinatus perdurat. Id ne cogatur sæpe facere, scalam ipse subministrat ascendentibus. Primus scalam gradus est, pes elephantis; alter, genu; tertius, armus; in quem ubi scissor evasit, arripit funem: è lætica suspensum: scandentes ipse adjuvat proboscide; qua interdum apprehensos læticae solus infert. Priusquam capellaret, monetur à magistro, quò eundum, & qua sit: quibus in diversis subsistendum, ubi pernoctandum. Ita monitus dat se in viam, eamque carpit, qua brevissima. Non terrent illum, aut morantur fluvii, quos natando superat; non silva, quarum arbores hinc inde disjicit proboscide, aut falce ferrea, quæ hunc in usum è lætica pendet, quamque tractat dexteritate summa. Eadem utitur ad amputandos teneriores ramos, & arbutulas; quibus fere pascitur.

Alia capitur ex elephantis utilitas ad onera deportanda, quibus vel gravissimis ferendis pares sunt: alia in bello gerendo; sed ea jam obsolevit, ex quo Lusitani faces illis accensas objecerunt; nam igne terrent, referunt pedem, neque ductores suos audiunt. Gerunt inimicitias elephantis cietes cum silvestribus, & ab his vulgo vincuntur: item cum rhinocerotis, sed feliciter. Est rhinoceros mirum quoddam animal. Corporis modus idem ferè, qui majoris apri; moles tamen rudi, & crura multo crassiora. Corpus latis solidisque squamis, inter se artissimè confertis, & nigricantibus operitur. Illa oceanum in morem crura involvunt, & cuculli ritu vastum caput humerosque armant. Rictus oris modicè hians; rostrum oblongum. In medio extat emineque crassum cornu, quod uri, tigresque ipse reformidant. Ab eo cornu, sive cornuto naso, factum illi apud Græcos rhinocerotis nomen. Lingua, infra

limæ, quidquid lambit, radit atteritque: & quemadmodum animalia nonnulla in deliciis habent carduos, & urticas, quæ suis aculeis nervulos eorum lingua, ac fibras blande vellicant: ita rhinoceros horrentes spinis grandibus fruticum hispidorum ramos avide carpit, nec impune tantum subigit in ore, plectiturque; sed velut opima ferula, cupide comedit. Sane nonnihîl interdum cruoris eliciunt ista spicula, sed hoc ipso videtur augeri dapis exquisitæ sapor; neque aliter, credo, illa exigua vulnera ejus linguam afficiunt & remordent: ac sal & piper, nostram. In eo, quod elephanti cum rhinocerote gerunt, bello, summa illorum cautio & cura est, ne rhinoceros elapsus inter ipsorum crura ventri se subjiciat, eumque suo cornu pertundat: tum ut ipsi alvum rhinocerotis, quæ una vulnere patet (nam reliquum corpus squamis ferro durioribus tegitur) impaciõ dente lacerent.

55. Commerciî facultas, forma, & materia.

Commerciî apud Cocincinenses maxima opportunitas est, tum propter Japonum ac Sinarum viciniam, tum propter adeundî facilitatem. Quippe in ora maritima, centum patente leucas, quæ regionis est longitudo, portus quamplurimi advenas velut invitant. Huc accedit indigenarum humanitas, exeros benigne accipientium; dissimili, ac Sinæ, infueto, qui alienigenas arcant, & aspernantur. Itaque rex Japonibus, ac Sinesibus concessit haud invitus, ut locum eligenter condendæ urbi. Ea Faifus nuncupatur: partem Sineses colunt, partem Japonenses: utramque amplissimam & frequentissimam. Pecunia materia orichalcum: forma, calculi rotundi est; valor, teruncii nostratis. Idem ubique valor, eadem forma. Calculi singuli sunt in medio pertusi, ac filo inferto connectuntur, fere quingenti, aut mille, simul. Europæas merces magno habent in pretio: acum nummo emunt; inares crystallinas non minoris: corallio maxime delectantur. Duas ipsi res in commercium conferunt, fericos pannos, & Calambam. Bombyx apud illos adeo pervulgata est, ut agrestes omnes incedant fericati: fila bombycina sunt illa quidem minus subtilia, sed Sinesis firmiora.

Calamba genus est ligni odorati. Arborem ipsam vocant Aquilam. Hæc, ubi fenescit, odorem longe suavitissimum, & capiti utilissimum, spirat. Sed hujus ligni fenis magna est penuria, quia nascitur in altissimis rupium verticibus, ubi puriorem auram, ac siderum suaviores velut halitus excipit. Tum, populus truncos antequam fenescant, excindit, eximii quidem illos odoris & pretii, sed longe deterioris, quam cum carie ac venustate quasi putruerunt. Itaque ramale vetus, ex aliquo montis inaccessi culmine delapsum, auro contra constat, & regale munus est. Libra nummis ducatis quindecim aestimatur: delata vero in Japoniam, ducentis. In iisdem Cocincina montibus aliud genus arborum est fabricandis domibus perquam idoneum, quippe corruptionis expers, five infodiatur humo, five aquis mergatur: idem spissum adeo, & solidum, ut undis non innatet, ac ferri vice aliquando fungatur, præferunt ad conficiendas ancoras. Nomen arbori Tin: ex quo nonnulli suspicantur, non alia fuisse ligna Thivina, de quibus in sacris paginis mentio fit, (III. Reg. c. 10.) quæque dicuntur ad fabricandum templum à Salomone adhibita. Certe arborum altitudo eximia; enodis truncus; tamque crassus, eum ut complecti vix homines duo possint: tum autem, velut ad amussim rotundatus. Inde columnas indigenæ, quasi factas à natura, sumunt: iis in ordinem digestis imponunt domos; ita ut per istos columnarum ordines commeari lembi possint, cum inundant flumina. Columnis imponunt tabulas; tabulis stœras superferunt; hoc ædium solum & pavimentum est. Parietes similiter sunt à tabulis compacti, sed ductilibus, quas ætate remouent, earumque in locum succiunt cancellos à junco contextos, ut perflare domum aer possit.

56. Reipublicæ administrandæ ratio.

Reipublicæ administrandæ ratio è Japonica, & Sinesis, videtur esse constata. Belli studiis indulgent, ut Japonenses; doctrinam, Sinesis more, colunt: itaque nunc literatos, nunc militia peritos, provinciis gubernandis præficiunt. Libros, & litteras, à Sinesis petunt. Morum scientiam ceteris disciplinis, nec immerito, anteponunt. Sinesibus characteribus, quorum facile numerantur octoginta millia, utuntur ad libros in lucem edendos: at in sermone familiari, epistolis, scilicet forensibus, tria tantum illorum millia utuntur, ut expeditior sermo currat. Voces omnes una finiuntur syllaba, quæ ut vario afficitur tono, ita res varias significat: Verborum conjugationibus, modis, ac temporibus carent: eorum vicem obeunt pronomina cum adverbis tribus, uno præsentis temporis, altero præteriti, tertio futuri; quæ verbo ipsi juncta mentem loquentis explicant. In edendis libris non conjungunt alias alii formas litterarum, ac typos, ut in Europa fit; sed omnia unius, exempli gratia, pagina vocabula incidunt in æs, & chartæ imprimunt. Sic liber idem nullo negotio centies, millies, imprimi potest, ut imago millies ex una quapiam ærea tabula excudatur. Opera pretium est cognoscere quenam sint apud illos præmia tum eruditionis, tum virtutis bellicæ. Non eroganda pecunia, dividendis agris, attribuendisve prædiis, viros bene de republica meritos munerantur: ipsis assignant certum numerum hominum, in quos imperium regali par, & jus habeant: à quibus colantur tanquam domini; quorum iuventur opibus, armis & corporibus defendantur. Itaque, ut nos virum primarium appellamus dominum certi pagi, Comitum, Marchionem: ille, inquit Cocincinenses, quingentorum hominum dominus est; iste octingentorum; alius, mille.

In iure dicendo hunc modum tenent. Prorex, aut provinciæ gubernator, litigantes audit horis duabus, mane; totidem, post meridiem. Prodeunt actor & reus in ingentem aulam, stante circum populi corona. Suam quisque litem explicat, probat, defendit. Gubernator, perorata causa, utrumque paucis interrogacionibus, utpote homo prudens, & in hac palestra exercitatus, laesse, ac verum indagat. Quin, ex ipso circumstantium vultu & admurmuratione, aune secunda, nunc adversa, facillime intelligit ab utra parte stet æquitas; reo, an actori, suffragetur. Quare statim in alterutrum sententiam clara voce dicit, multa, exilii, aut capitis, ut quæque causa fert: neque ulla interponitur mora, quin exitum sententia fortiat. Gravissima sunt in fallaciosos, latrones, & adulteros, penæ constitutæ. Qui alterum falso accusat crimine, luit penam, à legibus positam crimini, quo alterum accusavit. Fur, si gravioris momenti est furtum, minuitur capite; si levioris, digito: si deprehenditur iterum in eadem noxa, plectitur altero digito: si tertium, auriculis; si quartum, collo. De adulteris supplicium ita sumitur. Eos extra pomerium educunt in vastam planitiem, spectante in orbem populo. Stat in medio elephas, tortor usitatus. Illi sententia legitur, cujus hæc sunt capita: Ut fontem, quem ad pedes jacentem confictis manibus ac pedibus habet, proboscide arreptum ac sublimè elatum ostendat multitudini: deinde, ut in altum jaculetur: tum, ut relabentem dentibus excipiat; mox affligat humi, & conculet. Unam vulgo ducunt uxorem: nihilominus conceditur lautioribus secundarias aliquot alere coniuges, five concubinas; sed eas, nisi annuente primaria uxore, non adsciscunt. Divortium leges non vetant, modo causæ graves intercedant. Notem ab uxoribus viri sumunt, earum ædibus accipiuntur, & fortunis sustentantur, neque ullam rei familiaris partem attingunt: inertes vulgo domi sedent, arti nulli, vel opificio, addicti; cum materiæ ad fabricandas domos, bombycis ad vestes, oryza ad victum, vilis ubique annona sit. Interdum procurrunt in ingentem campum, sub urbis mœnibus; ubi torquendo jaculo, dirigendis ad signum plumbeis glandibus, acinace tractando, exercentur ortumque consumunt.

57. *Arma, & gerendi belli modus.*

ACinaces & arma Cocincinenfibus fubminiftrant Ja-
pones, eaque excellenti modo temperata: equos
regio procreat, pumilos quidem, at acres & generofos.
Tormentorum muralium magnam vim colligunt è
Lufitanorum & Hollandorum littoribus, ad fua littora
naufragio eiectis. Ea vero tam perite diploant, ut
certare cum ipsis Europæi libratores non audeant. Am-
plius centum triremes expeditas & inſtructas rex in
promptu femper habet: nec laborat in conquiritendis
remigibus; aut eos tanquam facinoroforum, ut in Eu-
ropa ufuvenit, turbam, vinculis conſtrictos tenet. In-
ſtante bello lictores, & adminiftri regii, clam oppida
concurfant, & quemcumque de plebe, aptum traſian-
do remo nancifcuntur, hunc regis nomine ad triremes
deducunt, non valde reſiſtantem, aut invitum; nam
in ipsis triremibus laute remiges paſcuntur, atque am-
pliſſima capiunt ſtipendia: & quandiu domo abſunt,
ipſorum uxores, liberi, familia omnis, aluntur de fiſco.
Nec tantum ſedent ad remum, ſed etiam pars pugnae
ſunt, cum res poſcit, & ſtrenue dimicant. Triremibus
utuntur minus latis, longiſque, ſed ornatiſſimis, &
auro, argentoque, micantibus. Principem in triremi
locum eſſe proram ſtatunt. In ea ducis domicilium
locant, quippe qui præire ceteris debeat, ibique locum
ubi plus periculi eſt, fortiri. Loricas & galeas, ut gra-
ves pugnantii militi, reſpuunt. Clypeos plurimum ad-
hibent, ſed grandiores, oblongos, habiles, & ita con-
cavos, ut iis miles totus obtegatur, ac tanquam in tur-
ricula ſtet. Eos vero quam ſcitiffimè traſtant, & ho-
ſtiles impetus ſumma declinant arte; locum interim
faciendi vulneris aucupantes. Octoginta armatorum
millia rex facile conſicere dicitur. Bellum illi aſſiduam
cum rege Turkini, cuius olim Cocincina fuit; ut in
Parte VI. Hiſtoriae uberius narrabitur.

58. *Res domestica, veſtes, cultus corporis.*

Quod attinet ad privatam rem Cocincinenſium, &
domesticam, indole ſunt comoda & perhumana:
iracundiam in graviſſimis numerant vitis.
Exteros familiariter & benignè adhibent; inter ſe haud
fecus atque amici, ac pene fratres, verſantur: paſcunt
indigentes ultro, & ſublevant ærumnoſos. In obſer-
vandis omnibus urbanitatis officiis accurati ſunt, ac
propè moleſti; hoc à Sinenſibus hauferunt. Senectus
ubique venerabilis, & iuventute prior habetur. Se-
dent humi vulgo in ſtorea: viris primariis datur ali-
quando cathedra, vel conopeum. Feminae utuntur ve-
ſte modeſtiſſima, qua pudorem Europæe licentiæ me-
rito incutiatur. Sericos ille pannos aliis aliis ſuperinji-
ciunt, diverſi coloris ſingulos; primus, interiorque,
omnium eſt longiſſimus; alter brevior, itemque ter-
tius. Comam eadem promittunt ad pedes uſque: hæc
venuſtatis pars præcipua cenſetur. Ingens petafus ca-
put illis obvallat, incumbitque fronti ſic, ut oculi
ultra paſſum tertium, quartumve, nequeant evagari.
Paululum iſtos petafos attollunt, ſalutandi cauſa. Vi-
rorum adſtricta ſunt femoralia, laxæ patentefque ma-
nicae, verſicolores è bombyce panni veſtium, ac paſſim
inciſi. Caſariem alunt, ut feminae; ſi vero nativam
non habent, adſciſcunt arte, & uſque ad talos produ-
cunt. Barbam uberem paucis natura dedit: at quibus
tantum boni obtigit, cavent ne pilum ejus vel unicum
perdant. Nobiles nunquam unguibus ferrum admo-
vent: hoc nobilitatis inſigne arbitrantur, ſequè ita fe-
cerni putant à populo, qui ne unguis creſcere ſinat
labore quotidiano prohibetur. Id in Europæis repre-
hendunt, quòd comam ac barbam radant, eoque
nomine Chriſtum Dominum initio laudabant vel ma-
ximè, quòd utramque ſemper aluiffet, & imitandum
in eo cenſebant à Chriſtianis: ſed alia in eo eſſe imi-
tanda didicerunt. Litterati & doctores uno veſtium co-
lore contenti ſunt, nempe nigro; majorem faciæ
collo demittunt, itemque minorem alteram è brachio,
non abſimiles ſacerdotali ſtola, ac manipulo: nec ab-
horret à mitra capitis tegmen. Luſuofus & funebris

color albus eſt. Nemo aperit caput ſalutandi cauſa,
idque putidum ac probroſum ducunt. Itaque rogandus
fuit Paulus V. Summus Pontifex, ut rem Divinam à
ſacerdotibus pileatis fieri concederet. Fas contra & pul-
crum cenſent nudis ingredi pedibus ac tibiis: ſoleam
duntaxat è corio ſubjiciunt plantis, ne ad filices of-
fendant: hanc inferri pedum digitis globuli, aut ſerica
vincula continent, ne excidat. Pulverem lutumve col-
lectum è via extergunt in ædium limine, ubi hunc in
uſum præſto ſemper eſt vas referendum aqua pura. So-
cietatis Patribus plurimum moleſtiæ attulit ea conſue-
tudo nudis incedendi pedibus. Hinc ſcilicet viſcerum
& ſtomachi dolores, alique morbi. Uſus callum obdu-
xit: adeo ut calceos poſtea, tanquam moleſtum onus,
excuterent.

59. *Cibi; medici, & medicamenta.*

Quamvis ferina, & altici carne, abundant Cocinci-
nenſes, cenæ tamen vel exquisitiſſimæ caput eſt
oryza; & quidem ſine ullo condimento ſaporis
alieni, ſed aqua tantum macerata. Hæc panis, cuius
apud illos rarior eſt uſus, vice fungitur. Veſcuntur humi
pedibus in decuſſim obliquatis. Cibi apponuntur in hu-
mili & exigua menſa. Quor convivæ, toti menſæ. Omnia
ſercula minutim concilia inferuntur: itaque nullus cul-
tellarum uſus: nullus fuſcinarum, ac captandis ci-
bos: illos gemino bacillo, uti Sinae, preſtant, ori-
que admovent mira facilitate: cumque dapes nunquam
traſtent manibus, mantilia ne norunt quidem. Con-
viviorum ſplendorem numero ſerculorum, & conviva-
rum, metiuntur. Sape quinquaginta, ſepe centum,
& plures, accumbunt. Lances, pyramidum in morem,
turriumve, componunt, ut in exiguo menſæ patio in-
gens dapum numerus, per illas pyramidum contaba-
lationes diſpoſitus, contineri poſſit. Viribus & vino
carent: ex oryza tamen ſtillatitium igne ſuccum ex-
primunt vino ſimillimum, ſeu colorem, ſeu vim in-
briandi ſpectes. Huic potioni vulgus indulget, magno
cerebri, & rationis detrimento: modeſtiores eam tem-
perant liquore non inſuavi, quem ignis beneficio eli-
ciunt è calambæ aſſulis aqua merſis. Delectantur
etiam plurimum Cia. Potionis eſt genus conſectum ex
aqua calida, in qua Ciam coxerint, herbas peſtori &
ſtomacho amicitiffimas. Hujus fructus radicem Cocin-
cinenſes incoquant aqua, Sinenſes folia tantum: Ja-
pones eadem folia in pulverem redaſta in laticeum cal-
lidum immittunt; potionis utrobique vis eadem, &
nomen eſt.

Jam, ratio medendi peculiare quiddam habet.
Medicus poſtquam agrum circumpexit, ac micantis
arteria pulſum diu exploravit, de morbo pronunciat;
ejus naturam, vim, effectus, exponit; ac, ſiquidem af-
firmaverit nihil in arte ſua eſſe remedi; conclamatum
eſt: parantur exequæ. Si contra ſanabile malum
exiſtimat, tunc de mercede cum agroto pacifcitur, ad-
hibito plerumque libellione, ut res ipſi cautior ſit.
Deinde remedia componit, materiam illorum præpa-
rat, miſcet, temperat, medicamentariis & pharmaco-
polis valere juſſis, qui ob eam rem pauciſſimi tota re-
gione ſunt. Si recreatur æger, ut ſere fit, gaudet ſu-
pendio paſto medicus: ſi moritur, oleum & operam,
cum parte non exigua famæ, perdit. Eo genere me-
dicamentorum utuntur, quòd amaroris nihil habent,
ac nauſeæ: alimenta verius dixeris, aut juſcula: hæc
que cibis, præter iſta medicamenta, nullis eſt opus. Id
maximè ſtudent ut noxios humores leniter abigant, &
ſuam ſanguini temperiem reſtituant; ablatis, qua per-
niciem creant, quaſque detegere potiſſimum laborant,
cauſis. Hoc inſigniter in Europæo quodam patuit.
Gravem in morbum delapſus, acciverat medicum Co-
cincinenſem: qui, agroto per otium conſiderato,
promiſit ita ſe hominem ſanaturum, ſi ab omni Ve-
nere, uſque ad præſtitum diem abſtineret. Vocatur
ſcriba publicus, conditio in tabulis referetur. Triginta
dies medicus præſinit. Belliſſime procedebat curatio, &
æger periculo ſe deſunctum ratus, ante diem trigeſi-
mum, contra conditionem acceptam peccavit. Rediit
medicus, ac pæjus agro factum cernens, cauſamque
ſuſpicatus, de inſtanti morte trepidum & perſidie con-
victum

visum admonet, simulque constitutam mercedem re-
pocit. Negat egrotus. Deducta in iudicium lite, vi-
cit medicus; hoïpes die dicta perit.

60. *Littera Cardinalis Toleti, quibus ve-
niam exuenda sacra purpura à Clemente,
VIII. petiit.*

Beatissime Pater, Quod dicturus modò venio San-
ctitati Vestrae, quæso, ne inconsulta levitati, aut
præcipiti perturbationi assignandum putet. Multis mi-
hi cogitatum mensibus & longa tandem deliberatio-
ne maturatum consilium sedit: auctore, ut opinor, Deo
& Beatissima Dei Matre, semper virgine: quorum pacem
veniamque, & animi lucem ad hoc ipsum cum
per me sedulo exquisivi toto isto tempore, tum à mul-
tis Dei servis exquirendam curavi. Post quæ sensi magis
magisque confirmari mihi animum in proposito, quod
efficacissimum concepi, spoliandi me dignitate Cardi-
nalia, secedendi in solitudinem; ubi paucos, qui
superfunt, vitæ mortalis dies adornandæ in cælum
professioni impendam. Quatuor me causæ ad hoc consi-
lium impellunt. Prima est, exiguus in spiritu progres-
sus, quem in hac dignitate facio: ut mihi plus per-
dere quam lucrari videar; & retro ferri potius quam
progressi. Secunda: quod in hac turbæ negotiorum &
officiorum, impedimenta profectus gravia, avocationes
ab attentione vehementes, & occasiones intepescendi
ab amore, quem Deo debeo, reperio; cujus tamen
amoris in vigore ardoreque conservandi, antiquissima
mihi cura est; cui quantum est in mundo rerum post-
habere ut debeo, sic volo. Tertia est causa desiderium,
quod Deus inspirare mihi dignatur, ardens deferendi
eius causæ bonæ & commoda quæ habeo. Cuperem, quò
sacrificium maius & Deo dignius offerrem, adesse plura
quæ pro ipso contemnerem. Tres hæ rationes dictæ
breves, usu ac praxi tam amplæ ac multiplices sunt,
ut ad eas explicandas iusto esset volumine opus. Has
autem dum assidue reputo (coram Deo loquor) con-
stringitur mihi, & consiliatur sibi miserè displicens
animus. Quam ægritudinem est, utcumque possum,
plerumque dissimulo, tamen identidem erumpit, elucta-
turque artem ac conatum omnem; vitamque insuavem,
quippe assiduo presentium fastidio, quali nauseabun-
dam, efficit. Accedit quarta, minus illa quidem prin-
cipalis, ratio, mediocritas, valetudinis & virium corpo-
ris: quas planè deteri ac consumi sentio, tot istis ne-
cessariis functionibus Congregationum, Confessoriorum,
& publicorum id genus Conventuum: quibus supra

modum defatigor, eò molestius, quòd quàm parum
in iis Deo gratificer sentio. Equidem verba non in-
venio, quibus hos veros atque intimos de his rebus
animi mei sensus clarè fati edisseram. Tamen hic
quantus, quàmque vehemens affectus sit, ex effectu
poterit cognosci, quòd me adigat ad ea relinquenda,
quæ mundo tam optata & cara sunt. Supplex igitur
etiam atque etiam, quo maximo ardore possum, oro
atque obsecro Sanctitatem Vestram per Christi Domini
nostri amorem, qui tanta fecit pro nobis, qui cum di-
ves esset, propter nos egenus factus est; & per amo-
rem Matris ejus sacratissimæ, cui Vestra Sanctitas tan-
tum devota est, & cujus gratia hoc omne facio; ac-
ceptet Vestra Sanctitas hanc renunciationem dignita-
tis & pensionis, & omnium quæ habeo; & sinat me
secedere ad præparationem mortis, sicut tantopere &
tanto tempore ambivi. Nam aut nihil, aut parum da-
mni Vestra Sanctitas factura est isto meo recessu. Sal-
tem ne decernat hoc, quod peto, mihi negare, prius-
quam oraverit Deum & gloriosam ejus Matrem, ut sibi
mentem illuminent, ad dignoscendum, quid conveniat,
& quid Deo in hac parte cordi sit. Propterea hæc scri-
pto absens, quàm voce præfens agere malui. Confide-
ret autem hanc instantiam meam ad nullum alium
scopum tendere coram Deo vivente, quàm ad ejus
divinum obsequium, & salutem animæ, cum illa per-
fectione, quam debeo Deo & Matri sanctissimæ. Quare
iterum instantissimè cum omni humilitate oro & obtes-
tor Sanctitatem Vestram, ut dignetur, hac annuen-
da mihi gratia, factis probare beneficium illum amo-
rem, quo me à tot annis immeritum prosequitur, &
cujus mihi tanta tot modis argumenta dedit. Nec me
istud agentem interpretetur grati erga se animi officio
deesse. Testis mihi est Deus, à quo iudicandi sumus
omnes, longissimè abesse me & ab oblivione reputan-
di, & à negligentia rependendi, quoad possum, infi-
gnia beneficia, quæ ab Sanctitatis Vestrae liberalitate
accepi plurima: quorum fructum in eo vel maximum
constituto, quòd per ea mihi supererunt, quæ Dei causâ,
possum relinquere. Pretiosa meo iudicio facultas: ut
planè sentiam, nullum me finem ejus amandi posse fa-
cere, per quem illa mihi contigit. Quare sine magni-
tudinem mihi collatorum à Sanctitate Vestra beneficio-
riorum cogito, sive affectum, quo in me illa sunt ef-
fusa, planè sentio æternis me verissimi officii vinculis
Sanctitati esse Vestrae obstrictissimum. Precor ac vener-
tem Vestram comulet: cujus interim nutum expecta-
bo. III. Septembris Anno MDXCIV. Sanctitatis Ve-
stræ humillimus & obligatissimus servus ac creatura.
Franciscus Cardinalis Toletus.

§. XII. *Catalogus Provinciarum, Collegiorum, ac domorum
Societatis JESU, anno MDCXVI. editus.*

<i>In Italia Provincia quinque.</i>			
PROVINCIA ROMANA.			
(Domus Professa.)		Collegium Montis Sancti.	<i>Monte Santo.</i>
(Collegium Romanum.)		Collegium Montis Politiani.	<i>Monte Pulciara.</i>
(Domus Probationis.)		Collegium Firmanum.	<i>Fermo.</i>
(Collegium Penitentiarie.)		Collegium Tifernatense.	<i>Civitas di Castella.</i>
(Collegium Germanicum.)	<i>Roma.</i>	Collegium Asculanum.	<i>Ascoli.</i>
(Collegium Anglicanum.)		Collegium Soranum.	<i>Sora.</i>
(Seminarium Romanum.)		<i>Sunt in hac Provincia Socii 747.</i>	
(Collegium Maronitarum.)		PROVINCIA SICULA.	
(Collegium Scotorum.)		(Domus Professa.)	
Residentia Tusculana.	<i>Frascati.</i>	Panormi (Collegium Panormitanum.)	<i>Palermo.</i>
Collegium Tiburtinum.	<i>Tivoli.</i>	(Domus Probationis.)	
Collegium Laurentanum.	<i>Loreto.</i>	(Domus Professa.)	
Collegium Perusinum.	<i>Perugia.</i>	(Collegium Messanense.)	<i>Messina.</i>
Collegium Florentinum.	<i>Florentia.</i>	(Domus Probationis.)	
Collegium Senense.	<i>Siena.</i>	Collegium Syracusanum.	<i>Syracusa.</i>
Collegium Maceratense.	<i>Macerata.</i>	Collegium Catanense.	<i>Catania.</i>
Collegium Recinetense.	<i>Recanati.</i>	Collegium Montis regalis.	<i>Monreale.</i>
Collegium Setinum.	<i>Sezze.</i>	Collegium Bivonenfe.	<i>Bivona.</i>
Collegium Anconitanum.	<i>Ancona.</i>	Collegium Caltajeronsense.	<i>Caltagirone.</i>
		Collegium Rheginum.	<i>Reggio.</i>
			<i>Colle.</i>

Collegium Drepanitanum, *Trapani.*
 Collegium Menense. *Meneo.*
 Collegium Marsalense. *Marsala.*
 Collegium Caltanissetense. *Caltanisseta.*
 Collegium Melitense. *Malta.*
 Collegium Platense. *Piazza.*
 Collegium Netinum. *Neto.*
 Collegium Saccense. *Sciacca.*
 Residencia Chia. *Scio.*
Sunt in hac Provincia Socii 638.

PROVINCIA NEAPOLITANA.

Neapoli. (Domus Professa.)
 (Collegium Neapolitanum.) *Neapoli.*
 (Domus Probationis.)
 (Domus Professa nova.)
 Collegium Catacense. *Catanzaro.*
 Collegium Nolanum. *Nola.*
 Collegium Aletinum. *Lecca.*
 Collegium Bariense. *Bari.*
 Collegium Salernitanum. *Salerno.*
 Collegium Consentinum. *Cosenza.*
 Collegium Barolitanum. *Barletta.*
 Collegium Teatinum. *Chieti.*
 Collegium Aquilanum. *Aquila.*
 Collegium Beneventanum. *Benevento.*
 Domus Probationis Adriensis. *Atri.*
 Collegium Bovinense. *Bovino.*
 Collegium Tropeense. *Tropia.*
 Collegium Massense. *Massa.*
 Collegium Stabienense. *Castell' à mare.*
 Collegium Capuanum. *Capua.*
 Collegium Molfettanum. *Molfetta.*
 Residencia Monopolitana. *Monopoli.*
 Residencia Tarentina. *Taranto.*
 Residencia Paula. *Paula.*
Sunt in hac Provincia Socii 594.

PROVINCIA MEDIOLANENSIS.

Mediolani. (Domus Professa.) *Milano.*
 (Collegium Bredanum.)
 (Domus Professa.)
 Genoa. (Collegium Genuense.) *Genova.*
 (Domus Probationis.)
 Collegium Taurinense. *Turino.*
 Collegium Comense. *Como.*
 Collegium Vercellense. *Vercelli.*
 Collegium Montis Regalis. *Mondovi.*
 Collegium Cremonense. *Cremona.*
 Domus Probationis Aronensis. *Arona.*
 Collegium Bastiense. *Bastia.*
 Collegium Nicinense. *Nizza.*
 Collegium Alexandrinum. *Alessandria.*
 Residencia Papiensis. *Pavia.*
Sunt in hac Provincia Socii 411.

PROVINCIA VENETA.

Domus Professa Veneta. * *Venetia.*
 Collegium Patavinum. * *Padova.*
 Collegium Ferrariense. *Ferrara.*
 Collegium Bononiense. *Bologna.*
 Collegium Brixienense. * *Brescia.*
 Collegium Foroliviense. *Forlì.*
 Collegium Mutinense. *Modena.*
 Parmæ (Collegium Parmense.) *Parma.*
 (Collegium Nobilium.)
 Collegium Placentinum. *Piacenza.*
 Collegium Veronense. * *Verona.*
 Collegium Mantuanum. *Mantova.*
 Domus Probationis Novellariæ. *Novellara.*
 Domus Probationis Imolæ inchoata. *Imola.*
 Collegium Mirandulanum. *Mirandola.*
 Collegium Regiense. *Reggio.*
 Collegium Faventinum. *Faenza.*
 Collegium Castillonense. *Castiglione.*
 Residencia Cretenfis. * *Candia.*
 Residencia Vicentina. * *Vicenza.*
 Domus Probationis Buxetana. *Buffeto.*
Sunt in hac Provincia Socii 373.

PROVINCIA LUSITANA.

(Domus Professa.)
 Olisipone. (Collegium S. Antonii.) *Lisboa.*
 (Domus Probationis.)
 Collegium Conimbricense. *Coimbra.*
 Collegium Eborense. *Evoara.*
 Collegium Portuense. *Porto.*
 Collegium Bracarense. *Braga.*
 Collegium Brigantium. *Braganza.*
 Collegium Pharense. *Pharo.*
 Domus Professa Villavivosa. *Villavivosa.*
 Collegium Portalegrense. *Portalegre.*
 Collegium Funchalense. *Madeira.*
 Collegium Angrense. *Angra.*
 Collegium S. Michaelis. *S. Miguel.*
 Residencia S. Felicis. *S. Fins.*
 Residencia Canalenfis. *Canal.*
 Domus in regno Angolæ. *Angola.*
 Residencia in Insulis Hesperidum. *Cabo verde.*
Sunt in hac Provincia Socii 680.

PROVINCIA GOANA.

(Domus Professa.)
 Goa. (Collegium Goanum.) *Goa.*
 (Domus Probationis.)
 Collegium Salfetanum cum XI. Residentiis. *Salfet.*
 Collegium Chaulense. *Chaul.*
 Collegium Tanaense cum suis Residentiis. *Tana.*
 Collegium Bazainense cum suis Residentiis. *Bacaim.*
 Residencia Tarapontensis. *Tarapor.*
 Collegium Damanense. *Daman.*
 Collegium Diense. *Dio.*
 Residencia Ethiopica. *Ethiopia.*
 Residencia Mogolensis. *Mogol.*
 Collegium Mozambiquense. *Mozambique.*
 Residencia Sennenfis. *Senne.*
 Residencia Tetenfis. *Peti.*
Sunt in hac Provincia Socii 280.

PROVINCIA MALABARICA.

Collegium Coccinense cum V. Residentiis. *Cochin.*
 Domus Probationis.
 Collegium Cranganorensis. *Cranganor.*
 Seminarium Vaypicotatum. *Vaypicota.*
 Collegium Coulanense. *Coulam.*
 Collegium Tutucurinenfense cum Residentiis. *Tutucurin.*
 Residencia Madurenfis. *Madure.*
 Collegium Columb. cum VII. Residentiis. *Colombo.*
 Collegium Nagapatatum, inchoatum. *Nagapatam.*
 Collegium S. Thomæ. *S. Thome.*
 Collegium Peguanum inchoatum. *Pegù.*
 Collegium Bengalense inchoatum. *Bengala.*
 Collegium Malacense. *Malaca.*
 Domus Ternatenfis cum Residentiis Molucensibus. *Maluco.*
Sunt in hac Provincia Socii 150.

PROVINCIA JAPONICA.

Nanga- (Collegium Nangafachienfense.) *Nangafachii.*
 (Domus Probationis.) *qui.*
 Residencia Uracamenfis. *Uracami.*
 Residencia Tonensis. *Toni.*
 Residencia Fudoyamensis. *Fudoyama.*
 Residencia Isafayensis. *Isafay.*
 Collegium Arimense. *Arima.*
 Seminarium Arimense.
 Residencia Xiquensis. *Xiqui.*
 Residencia Cocure. *Cocura.*
 Collegium Meacense. *Meaco.*
 (Facatenfis.) *Facata.*
 (Notcuensis.) *Notcu.*
 (Xinguensis.) *Xingu.*
 Residencia (Fuximensis.) *Fuximi.*
 (Ozacensis.) *Ozaca.*
 (Fococuenfis.) *Fococu.*
 (Firoximensis.) *Firoxima.*
 Collegium Macaense. *Macao.*
Sunt in hac Provincia Socii 130.

In Regno Sinarum.
 Collegium Pechinense inchoatum. *Pekin.*
 Collegium Nanchin. inchoatum. *Nankin.*
 Residencia Xauchenfis. *Sciaceo.*
 cum duabus aliis Residentiis.
Sunt in hoc regno Socii 30.

PROVINCIA BRASILIÆ.

Bahya. (Collegium Bahyense.) *Bahya.*
 (Residencia S. Spiritus.)
 (Residencia S. Joannis.)
 (Residencia S. Antonii.)
 (Residencia B. Virginis.)
 (Domus Ithacorum.)
 (Collegium Pernambucense.)
Pernambuco. (Residencia B. Virg. Conc.)
 (Residencia S. Andreae.)
 (Residencia S. Michaelis.)
 (Residencia S. Jo. Bapt.)
 (Residencia Maranhansenfis.)
 (Collegium Fluminis Januarii.)
 (Residencia S. Barnabæ.)
 (Domus Spiritus Sancti.)
 (Residencia S. Ignatii.)
 (Residencia B. Virg. Assumpta.)
Rio de Janeiro.
 Domus Piratinnæ. *Piratinnæ.*
 Domus Sanctorum. *Dos Santos.*
Sunt in hac Provincia Socii 180.

In Hispania Provincia quatuor.

PROVINCIA TOLETANA.

Toleti. (Domus Professa.) *Toledo.*
 (Collegium Toletanum.)
 (Collegium Madritanum.)
 (Domus Probationis.) *Madrid.*
 Collegium Complutense. *Alcala.*
 Collegium Ocaniense. *Ocana.*
 Collegium Placentinum. *Plasencia.*
 Collegium Conchenfe. *Cuenca.*
 Collegium Belmontense. *Belmonte.*
 Collegium Murcianum. *Murcia.*
 Collegium Caravacense. *Caravaca.*
 Collegium Securitanum. *Segura.*
 Collegium Huetense. *Huete.*
 Collegium Talabricense. *Talavera.*
 Collegium Oropellanum. *Oropesa.*
 Domus Probationis Villaregiensis. *Villarejo.*
 Collegium Almagrense. *Almagro.*
 Collegium S. Clementis. *S. Clemente.*
 Collegium Almonozilense. *Almonozil.*
 Residencia Navalcarnerensis. *Navalcarnero.*
 Residencia Jesu Montani. *Jesu del monte.*
Sunt in hac Provincia Socii 570.

PROVINCIA CASTELLANA.

(Domus Professa.)
 (Collegium Vallisoletan.) *Valladolid.*
 (Collegium Anglicanum.)
 (Collegium Salmanticense.) *Salamanca.*
 (Collegium Hibernorum.)
 Collegium Burgense. *Burgos.*
 Collegium Metinense. *Medina.*
 Domus Probationis Villagarcensis. *Villagarcia.*
 Collegium Segobienfe. *Segovia.*
 Collegium Abulense. *Avila.*
 Collegium Palentinum. *Palencia.*
 (Collegium Compostellanum.) *Santillana.*
 (Collegium Hibernorum.) *Iago.*
 Collegium Pampilonense. *Pamplona.*
 Collegium Legionense. *Leon.*
 Collegium Lucroniense. *Logrono.*
 Collegium Ovetense. *Oviedo.*
 Collegium Numantinum. *Soria.*
 Collegium Santanderense. *Santander.*
 Collegium Montis-Regalis. *Montrey.*
 Collegium Monfortense. *Montforte.*
 Collegium Arealense. *Arealo.*
 Collegium Vergarenfe. *Vergara.*
 Collegium Tudelanum. *Tudela.*
 Collegium Bilbaense. *Bilbao.*
 Collegium Bellimarenfe. *Bellmar.*
Paris V. Hist. Societatis Jesu Tom. II.

Collegium Villafranchæ. *Villafranca.*
 Residencia Azcoitana. *Azcoitia.*
Sunt in hac Provincia Socii 613.

PROVINCIA ARAGONENSIS.

Valentia. (Domus Professa.) *Valencia.*
 (Collegium Valentinum.)
 Collegium Barcinonense. *Barcelona.*
 Collegium Cælaraugustanum. *Caragoça.*
 Collegium Maioricense. *Mallorca.*
 Collegium Gerundenfe. *Girona.*
 Collegium Gandienfe. *Gandia.*
 Collegium Bilbilitanum. *Calatayud.*
 Collegium Turiafonense. *Tarazona.*
 Collegium Urgellenfe. *Urgel.*
 Collegium Ofcense. *Huesca.*
 Domus Probationis Tarraconensis. *Taragona.*
 Collegium Ilerdense. *Lerida.*
 Collegium Perpinianense. *Perpinian.*
Sunt in hac Provincia Socii 390.

PROVINCIA BÆTICA.

(Domus Professa.)
 (Collegium Hispalense.)
 (Domus Probationis.) *Sevilla.*
 (Collegium Anglicanum.)
 (Collegium studia repet.)
 Collegium Triguerense. *Trigueros.*
 Collegium Gaditanum. *Cadix.*
 Collegium Marcenense. *Marchena.*
 Collegium Cordubense. *Cordova.*
 Collegium Granatense. *Granada.*
 Bæzæ. (Collegium Bæzanum.) *Bæza.*
 (Domus Probationis.)
 Collegium Malacense. *Malaga.*
 Collegium Xerense. *Xerez.*
 Collegium Cazorlanum. *Cazorla.*
 Collegium Ubedanum. *Ubeda.*
 Collegium Astigitanum. *Exija.*
 Collegium Guadixense. *Guadix.*
 Collegium Frexenalenfe. *Frexenal.*
 Collegium Montellanum. *Montilla.*
 Collegium Antiquariense. *Antequera.*
 Collegium Oslunense. *Ossuna.*
 Collegium Anduxarenfe. *Anduxar.*
 Residencia Giennensis. *Jaen.*
Sunt in hac Provincia Socii 600.

PROVINCIA SARDINIÆ.

(Domus Professa.)
 (Collegium Saffaritanum.) *Saffari.*
 (Seminarium S. Antonii.)
 (Domus Professa.)
 (Collegium Calaritanum.) *Calleri.*
 (Domus Probationis.)
 Collegium Ecclesienfe. *Tegestas.*
 Collegium Alguarenfe. *Alguer.*
Sunt in hac Provincia Socii 190.

In India Occident. Provinciae quinque.

PROVINCIA PERUVANA.

(Collegium Limanum.)
 (Domus Probationis.)
 (Seminarium Limanum.) *Lima.*
 (Residencia S. Jacobi.)
 Collegium Cuzchenfe. *Cuzco.*
 Collegium Potofinum. *Potosi.*
 Collegium Platenfe, feu Chuquifacense. *Dela plata.*
 Collegium Pacense. *De la Paz.*
 Collegium Guamanganum. *Guamanga.*
 Collegium Quitense. *Quito.*
 Residencia Julensis. *Juli.*
 Residencia sanctæ Crucis. *S. Cruz de la Sierra.*
 Residencia Oruri. *Oruro.*
Sunt in hac Provincia Socii 370.

PROVINCIA PARAQUARIÆ.

Collegium Chilense. *Chile.*
 Collegium Assumptionis. *De la Assumpcion.*
 Collegium Cordubense. *Cordova.*
 Yy Colle-

Coll. S. Michaelis Tucuman. *De S. Miguel de Tucuman.*
 Collegium Conceptionis. *De la Concepcion.*
 Collegium Mendozanum. *Mendoza.*
 Collegium Sanctae Fidei. *De Santa Fee.*
 Residentia Boni Aeris. *Buenos Ayres.*
 Residentia S. Jacobi. *Santiago del Estero.*
Sunt in hac Provincia Socii 116.

PROVINCIA NOVI REGNI
 GRANATENSIS.

In S. Fide. (Collegium S. Fidei.) *Santa Fee.*
 (Sem. S. Bartholomaei.)
 Collegium Carthaginienfe. *Cartagena.*
 Residentia Panamana. *Panama.*
 Domus Probationis Tungenfis. *Tunja.*
 Residentia Caxicana. *Caxica.*
Sunt in hac Provincia Socii 100.

PROVINCIA MEXICANA.

Mexici. (Domus Professa.) *Mexico.*
 (Collegium Mexicanum.)
 Collegium Guaxacanum. *Guaxaca.*
 Collegium Guadalaxarenfe. *Guadalaxara.*
 Collegium Angelopolitanum. *Puebla Delos Angeles.*
 Collegium Vallifolietanum. *Valladolid.*
 Collegium Pasquarenfe. *Pasquaro.*
 Collegium Tepozotlanum. *Tepozotlan.*
 Collegium Guatemalenfe. *Guatemala.*
 Collegium Zacatecanum. *Zacatecas.*
 Collegium Meridanum. *Merida.*
 (Vera Crucis.) *Vera Cruz.*
 Residentia (Cinaloensis.) *Cinaloa.*
 (Guadiana.) *Guadiana.*
Sunt in hac Provincia Socii 340.

PROVINCIA PHILIPPINARUM.

Collegium Manilanum. *Manila.*
 Collegium Zebufenfe. *Zebu.*
 Domus Probationis S. Petri. *De S. Pedro.*
 (Antipolana.) *Antipolo.*
 (Taytayenfe.) *Taytay.*
 Residentia (Boolana.) *Bool.*
 (Dulacensis.) *Dulac.*
 (Carigarenfe.) *Carigara.*
 (Tinagonenfe.) *Tnagon.*
Sunt in hac Provincia Socii 100.

In Gallia Provinciae quinque.

PROVINCIA FRANCIAE.

Parifis. (Domus Professa.)
 (Collegium Claromont.) *Paris.*
 (Domus Probationis.)
 Residentia Pontifarenfe. *Pontoife.*
 Collegium Flexienfe. *La Fleche.*
 Collegium Bituricenfe. *Bourges.*
 Collegium Nivernenfe. *Niverns.*
 Collegium Augenfe. *Eu.*
 Rothomagi. (Collegium Rothomagenfe.) *Rouen.*
 (Domus Probationis.)
 Collegium Molinenfe. *Moulins.*
 Collegium Ambianenfe. *Amiens.*
 Collegium Cadomenfe. *Caen.*
 Residentia Constantinopolitana. *Constantinople.*
Sunt in hac Provincia Socii 460.

PROVINCIA AQUITANIAE.

Burdigala. (Collegium Burdigalense.) *Bordeaux.*
 (Domus Probationis.)
 Residentia S. Macarii. *S. Macaire.*
 Collegium Agintense. *Agen.*
 Collegium Petrocorienfe. *Petigoux.*
 Collegium Lemovicenfe. *Limoges.*
 Collegium Picavenfe. *Poitiers.*
 Collegium Xantonenfe. *Xaintes.*
 Collegium Redonenfe. *Renes.*
 Residentia Bearnenfe. *Bearn.*
Sunt in hac Provincia Socii 280.

PROVINCIA LUGDUNENSIS.

Lugduni. (Collegium Lugdunenfe.) *Lion.*
 (Domus Probationis.)

Avenione. (Collegium Avenionen.) *Aignon.*
 (Domus Probationis.)
 Collegium Turnonenfe. *Tournon.*
 Collegium Camberienfe. *Chambery.*
 Collegium Dolanum. *Dole.*
 Collegium Bifuntium. *Bezancon.*
 Collegium Viennenfe. *Vienna.*
 Collegium Ebredunenfe. *Ambun.*
 Collegium Carpentoraenfe. *Carpentras.*
 Collegium Roanenfe. *Roane.*
 Collegium Vefulanum. *Vefoul.*
 Collegium Sifteronenfe. *Siferon.*
Sunt in hac Provincia Socii 470.

PROVINCIA TOLOSANA.

Tolofa. (Collegium Tolofanum.) *Touloufe.*
 (Domus Probationis.)
 Collegium Billomenfe. *Billom.*
 Collegium Manriacenfe. *Mauriac.*
 Collegium Ruthenenfe. *Rodez.*
 Collegium Aufcitanum. *Auch.*
 Collegium Ancienfe. *Le Puy.*
 Collegium Bitterrenfe. *Beziers.*
 Collegium Cadurenfe. *Caors.*
 Collegium Albenacenfe. *Aubenas.*
 Collegium Carcaffonenfe. *Carcaffone.*
Sunt in hac Provincia Socii 310.

PROVINCIA CAMPANIAE.

Collegium Muffipontanum. *Pontanusfont.*
 Collegium Remenfe. *Reims.*
 Collegium Virundenfe. *Verdun.*
 Collegium Divionenfe. *Dijon.*
 Nanceii. (Collegium Nanceianum.) *Nancy.*
 (Domus Probationis.)
 Collegium Carolopolitanum. *Charleville.*
 Collegium Auguftodunenfe. *Autun.*
 Collegium Catalanenfe. *Chaalon.*
 Residentia Barenfis. *Barleuc.*
Sunt in hac Provincia Socii 226.

In Germania Provinciae tres.

PROVINCIA GERMANIAE SUPERIORIS.

Collegium Ingolftadienfe. *Ingolftat.*
 Collegium Monachienfe. *Muchen.*
 Collegium Dilinganum. *Dillingen.*
 Collegium Auguftanum. *Aufpurg.*
 Collegium Ratisponenfe. *Regenfpurg.*
 Collegium Oenipontanum. *Infpurg.*
 Collegium Halenfe. *Hall.*
 Collegium Lucernenfe. *Lucern.*
 Collegium Friburgenfe. *Friburg.*
 Collegium Bruntrutianum. *Bruntrut.*
 Collegium Confantienfe. *Coflax.*
 Collegium Euftheadianum. *Eyftat.*
 Collegium Eufifhemianum. *Eufifheim.*
 Domus Probationis Landfpergenfis. *Landfperg.*
 Domus Probationis Oetingana. *Oettingen.*
 Residentia Eberfpergenfis. *Eberfperg.*
 Residentia Biburgenfis. *Biburg.*
 Residentia Vualleana. *Vuallei.*
Sunt in hac Provincia Socii 546.

PROVINCIA RHENI.

Collegium Colonienfe. *Coln.*
 Treviris. (Collegium Trevirenfe.) *Trier.*
 (Domus Probationis.)
 Collegium Moguntinum. *Meitz.*
 Collegium Spirenfe. *Speir.*
 Collegium Herbipolenfe. *Werrzburg.*
 Collegium Fuldenfe. *Fuld.*
 Collegium Heiligenftadienfe. *Heiligenftadt.*
 Collegium Molshemienfe. *Molshem.*
 Collegium Confluentinum. *Coblenz.*
 Collegium Paderbornenfe. *Paderborn.*
 Collegium Monafterienfe. *Munfter.*
 Collegium Hildesheimenfe. *Hildesheim.*
 Collegium Embricenfe. *Emmerich.*
 Collegium Aquisgranenfe. *Aachen.*
 Collegium Bambergenfe. *Bamberg.*
 Collegium Wormatenfe. *Wormen.*
Colle.

Collegium Haguenoense. *Haguenau.*
 Collegium Erfordianum. *Erfurt.*
 Collegium Selestatianum. *Schlestat.*
 (Bonnenfis, *Bon.*
 Residentia (Afchaffenburgenfis. *Afchaffenburg.*
 (Novefiana. *Novef.*
Sunt in hac Provincia Socii 601.

PROVINCIA AUSTRIÆ.

Collegium Viennense. *Vienn.*
 Collegium Gracense. *Gratz.*
 Collegium Pragenfe. *Prag.*
 Collegium Olomucense. *Olmutz.*
 Collegium Crumlovienfe. *Cromauv.*
 Collegium Commotovienfe. *Commolau.*
 Collegium Novodomense. *Nguubau.*
 Collegium Labacense. *Labach.*
 Collegium Glacense. *Glaz.*
 Collegium Clagenfurtense. *Clagenfurt.*
 Collegium Zagrabienfe. *Zegrum.*
 Collegium Lincense. *Lintz.*
 Collegium Paffavienfe. *Paffau.*
 Collegium Hommonenfe. *Hommonay.*
 Collegium Tyrnavienfe. *Tyrnavu.*
 Collegium Crembsenfe. *Crembs.*
 Domus Probationis Brunenfis. *Brun.*
 Domus Probationis Leobienfis. *Leuben.*
 Residentia S. Bernardi. *S. Bernhart.*
 Residentia Milftadienfis. *Milftad.*
 Residentia Eberndorffenfis. *Eberndorff.*
 Residentia Plettrienfis. *Plettria.*
 Residentia Goritiensif. *Gortz.*
 In Tranfil- (Collegium Claudiop. * *Colofiuar.*
 vania. (Collegium Albæ Julię. * *Firrovay.*
Sunt in hac Provincia Socii 553.

In Belgio Provincia due.

PROVINCIA FLANDROBELGICA.

Antaerpiæ. (Domus professa.) *Antwerpen.*
 (Collegium Antuerpien.)
 Collegium Brugense. *Brughe.*
 Collegium Bruxellente. *Bruffel.*
 Collegium Cortracense. *Cortryck.*
 Collegium Gandavenfe. *Ghend.*
 Collegium Iprenfis. *Iperen.*
 Lovanii. (Collegium Lovanienfe.) *Locuen.*
 (Collegium Anglorum.)
 Domus Probationis Lyrana. *Liere.*
 Domus Probationis Mechlinienfis. *Mechelen.*
 cum Collegio inchoato.
 Collegium Ruremundanum. *Ruremonde.*
 Collegium Silvaducente. *Sbertoghenbefeb.*
 Collegium Trajeftenfe. *Mactricht.*
 Collegium Vvinocibergenfe. *Vvinocbergen.*
 Residentia Cafletana. *Caffel.*
 Residentia Hollandica. *Holland.*
Sunt in hac Provincia Socii 617.

PROVINCIA GALLOBELGICA.

Duaci. (Collegium Duacense.) *Douay.*
 (Seminarium Scotorum.)
 Audomari. (Collegium Audomarenfe.) *Saint-Omer.*
 (Collegium Anglicanum.)
 Tornaci. (Collegium Tornacense.) *Tournay.*
 (Domus Probationis.)
 Leodii. (Collegium Leodienfe.) *Liege.*
 (Domus Probationis.)
 Collegium Infulenfe. *Lille.*
 Collegium Montense. *Mons.*
 Collegium Valencenense. *Valencienfes.*
 Collegium Atrebatense. *Arras.*
 Collegium Cameracense. *Cambray.*
 Collegium Luxemburgense. *Luxembourg.*
 Collegium Namurcense. *Namur.*
 Collegium Dionantense. *Dinant.*
 Collegium Hefdinienfe. *Hefdin.*
 Collegium Arienfe. *Aire.*
 Residentia Watenenfis. *Watenes.*
 Residentia Huenfis. *Huy.*
Sunt in hac Provincia Socii 652.

In Polonia Provincia due.

PROVINCIA POLONIE.

Cracovia. (Domus professa.) *Krakow.*
 (Domus Probat. S. Stephani.)
 Collegium Polnaniense. *Poznan.*
 Collegium Califfienfe. *Kaliff.*
 Collegium Lublinense. *Lublin.*
 Collegium Leopoldienfe. *Lwow.*
 Collegium Jaroslaviense. *Jaroflaw.*
 Collegium Sendomiriense. *Sendomirz.*
 Collegium Luceorienfe. *Lucko.*
 Collegium Torunenfe. *Torun.*
 Collegium Camenecense. *Kamienec.*
 (Gedanenfis. *Gdansk.*
 Residentia (Pramiflienfis. *Premiff.*
 (Ravenfis. *Rawa.*
 (Crofnenfis. *Krofn.*
Sunt in hac Provincia Socii 459.

PROVINCIA LITHUANIE.

Domus Professa Warfavienfis. *Varfauua.*
 (Domus Professa.)
 Vilnæ. (Collegium Vilnenfe.) *Vvilno.*
 (Domus Probationis.)
 Collegium Brunsbergenfe. *Brunsbere.*
 Collegium Pultovienfe. *Pultovsk.*
 Collegium Niefuifienfe. *Niefuifcz.*
 Collegium Polocente. *Polock.*
 Collegium Rigenfe. *Riga.*
 Collegium Derpatenfe. *Derpt.*
 Collegium Orfenfe. *Orfa.*
 Collegium Lomzenfe. *Lomza.*
 Collegium Krozenfe. *Kroze.*
 Residentia Plocenfis. *Plock.*
 Residentia Smolencenfis. *Smolensk.*
Sunt in hac Provincia Socii 336.

*Sunt omnes Provinciæ 32. in Societate anno MDCXVI. Do-
 mus Professæ 23. Collegia 372. quamvis adhuc non sint
 restituta quæ asterisco notata sunt. Domus Pro-
 bationis separatæ 41. Domicilia, & Residen-
 tiæ 123. Socii denique omnes 13112.*

Nunc iste numerus ferè altero. tanto major est.

